BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XLII
B
32
NAPOLI

20.6

XCII
15
32

Digitized by Google

VINDICIAE VETERUM SCRIPTORUM,

CONTRA J. HARDUINUM S. J. P.

Additae sunt Viri eruditi Observationes Chronologicae in Prolusionem & Historiam Veteris Testamenti.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III - NAPOLI

ROTERODAMI,
Typis REGNERI LEERS,
MDCCVIII.

Viro Illustrissimo,

GISBERTO CUPERO;

CONSULI ET CAMERARIO DAVENTRIENSI; AD POTENTISSIMORUM ORDINUM GENERALIUM FOEDERATAE BELGICAE CONSESSUM DELEGATO. PER MULTOS PRIDEM ANNOS AB ORDINIBUS TRANSISALANIAE; ET INDE AB IISDEM ADSCRIPTO DEPUTATIS ILLIUS PROVINCIAE:

NEC NON
ANNO M. DCC. VI. A' REPUBLICA LEGATO MISSO AD EXERCITUM QUI MILITABAT IN BRABANTIA ET FLANDRIA, SUMMA CUM AUCTORITATE.

M. V. LA CROZE
S. P. D.

DEDI-

DEDICATIO.

SEdebis hodie judex, nisi molestum est, Vir Illustrissime, & quidem litis illius, qua vix ulla major esse possit inter eos qui bonarum litterarum studia profitentur. Vocatae sunt jam pridem in controversiam ab erudito viro quae omnium minime controversae esse debuerant, deliciae omnium doctorum, nobilissima Antiquitatis monumenta. Fa-

teor ſane non invitus meliorem longe aſſertorem bonae cauſae, & quae ſe fere ipſa tuetur, optandum fuiſſe: verum ſufficiet, opinor, judicis quem elegi aequitas & ſapientia, ſi quidem, Vir Illuſtriſſime, gubernacula Reipublicae quibus praees, tantiſper remittere volueris, ut ad litem noſtram dijudicandam animum appellas. Ea eſt enim tot ubique teſtimoniis confirmata apud eruditos integritatis & eruditio-

ditionis tuae opinio, ut ne Harduinum quidem ipſum, te judicem ejuraturum eſſe confidam. Pronuntiabis itaque, Vir Illuſtriſſime, nec eſt quidquam quod metuas, ne poſt auctoritatem judicii tui quiſquam ſit inter eruditos, qui illud ſibi defendendum ſumat, quod ſententiae tuae praerogativa minime confirmaveris. Ego ſane qui jam dudum in te conjunctam cum ſumma eruditione in-

credibilem animi modeſtiam admiror, ea omnia tibi ineſſe intelligo quae huic liti dijudicandae accomodata eſſe videntur. Praeſtabis itaque judicio tuo, Vir Illuſtriſſime, antiquitati, quam in ſumma dignitate conſtitutus, ornare non deſinis, inviolatum illud decus, quod primus omnium mortalium non ſatis pio conatu ipſi invidere aggreſſus eſt Harduinus; neque improbabis, ſpero, qualem-

cun-

cunque hanc lucubrationem, quae etsi forte ita comparata est ut se ab auctoris ingenio & eruditione minus commendet, ipso certe argumento te non injucunde, opinor, alicubi morabitur. Quam spem meam hic profiteri non pudet, qui etsi haec mea te quam maxime probare velim, longe tamen ardentius opto ut leve hocce obsequii & observantiae meae testimonium clementer accipias, teque

modo Reipublicae, quam feliciter adminiſtras, negotiis unice intentum, interpellatum à me fuiſſe aequo animo patiaris. Vale. Coloniae ad Spream. IV. Idus Junias, CIↃ IↃCC. VIII.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Haud ita necessarium censuissem cupidum forte legendae Disputationis meae lectorem hic in limine detinere, nisi quaedam occurrissent, de quibus omnes qui nostra haec legent necessario admonendos esse judicavi. Primo quidem nonnullos esse intellexi qui graviter ferrent, me Societati ipsi Harduini consilia tribuisse, in quo tantum abest ut me errasse putem, ut potius summa moderatione usum esse censeam, cùm solos Societatis Optimates Harduini incoeptorum conscios fuisse docuerim. Audio certe hodie MUTATIONE *quadam* DICTAMINIS, *quae for-*

mula apud Loïolitas tralatitia eſt, Harduini Superiores eum impuliſſe ut Sanctorum Patrum lucubrationes, profanorumque ſcriptorum quaecunque ſcripta memorantur apud Scriptores Eccleſiaſticos, quin & ipſum Flavium Joſephum ſe pro legitimis agnoſcere fateretur. At ideo non interibit rei memoria, neque oblitterabitur in Societate & in Harduini animo demtus quidem, ſed demtus per vim mentis gratiſſimus error. Certe libri aetatem ferent eo veneno turgidi, poſteris etiam forte nocituri, quandocunque, quod Deus avertat, Barbaries inoleverit. At nemo hoc argumento à παλινῳδία Loiolitarum ducto demonſtrabit minus

pro-

probatas olim fuisse in Societate Harduini sententias, quae tandiu contra quotidianas in Gallia ipsa eruditorum querelas, & crebro repetitas expostulationes illaesae steterunt, & diutius sine dubio stetissent, nisi jam demonstrata origine mendaciorum, & Harduinianorum aenigmatum fontibus reclusis, gregalem suum minus tuto latere Loiolitae arbitrarentur. Merito sane tribui Societati ipsi quaecunque auctore Loiolita, approbata à Theologis & Superioribus in lucem prodeunt, jam ab aliis saepius demonstratum est. Unius mihi testimonium in praesentia afferre sufficiat, non Loiolitae quidem, sed Loiolitae simillimi, certe sub

Loiolitae larva non inepte latentis apud elegantiſſimum Montaltium, corruptae morum Philoſophiae Doctoris, quem ego hic pro me reſpondentem adducam.

„ (1) *Nonne* Harduinum *è Societate noſtra eſſe ſat eſt, cùm ipſa omnes aluminorum ſuorum libros praeſtet. Nolim à te rem tanti momenti ignorari. Hanc igitur nobis legem eſſe ſcito, ut ne quid Praepoſitorum injuſſu & ſine Theologorum noſtrorum approbatione edamus in vulgus. Sic ſolemni ſanctione nobis edixit Henricus III. 10. Maii, anno 1583. Quod itidem confirmarunt Henricus IV. die*

„ *De-*

* Epiſt. 1x. ad Provincial. pag. 218. editionis quadrilinguis.

„ *Decembris* 20. *anni* 1603. *&*
„ *Ludovicus XIII.* 14. *Februa-*
„ *rii* 1612. *Ita toti corpori ſin-*
„ *gulorum libri praeſtandi ſunt.*
„ *Hinc fit ut quicquid emanat*
„ *à noſtris, Societatis noſtrae ve-*
„ *rum referat ingenium. Quod*
„ *te doceri ad rem attinuit.* „
Haec ſibi dicta putent qui nos toti Loiolitarum gregi injuriam feciſſe crediderunt. Sane quod iterum dicam, & res ipſa clamat, etſi id de ſingulis & omnibus Loiolitis intelligi nolumus, Harduini certe factum probarunt Societatis Optimates; neque ei ſuccenturiatus hodie prodiret Germonius, niſi & eaſdem animo foveret ſententias, & Superiorum ſuorum in Diploma-

tum

tum & Manuſcriptorum fide convellenda favore & gratia niteretur. Et ſane, fatebor enim quod verum eſt, Germonii libris impulſus ſum ut Gallice ea ederem quae ante annum prodiere; cùm ex ea novandi libidine intelligerem jam in procinctu eſſe Jeſuitas ut litterarum perniciem quam primum molirentur. Idem quoque aliis longo terrarum intervallo à me remotis venerat in mentem, viris videlicet eruditiſſimis Juſto Fontanino & Dominico Lazzarino, qui uterque ſententiam de eo ſuam, etſi inter Pontificios vivant, ubi formidabiles ſunt & magna auctoritate pollent Loiolitae, intrepide propoſuerunt. Quo loco

mihi

mihi temperare non possum quin insignem locum exscribam ex Epistola ad Fontaninum doctissimi Lazzarini mecum, quod mihi perhonorificum duco hic omnino facientis. „(1) *Cùm ego heri,* „inquit, *litteras tuas legerem* „*amico cuidam non inerudito, à* „*me ille sciscitatus est, quid nam* „*illa sibi querela voluisset. Po-* „*stea verò quam narravi quem-* „*dam Harduinum ausum fuisse* „*dicere & mandare litteris,* „(2) *Homeri, Ovidii, Plauti,* „*aliosque veterum Poëtarum li-* „*bros esse quaedam commenta* „*Monachorum* (3) *undecimi sae-*

„*culi,*

(1) In Novis litterariis Germaniae, Hamburgi. Cal. Octobris 1707. pag. 339. 340.

(2) De Homero perperam id dixit vir eruditus. (3) Imò XIII. saeculo.

„culi; Germonium autem dice-
„re, eorundem Monachorum
„commenta esse diplomata om-
„nia, si quae vetusta sunt, il-
„lico clamavit: Egregie Fonta-
„ninus, atque adeo vere. Nae
„socii illi & consortes facinoris
„sunt. Nae sunt illi quidem
„duo fulmina vetustatis. Ne
„vivam nisi Harduinus & Ger-
„monius inter se ament. Haec
„ille. Adeo se ipsa veritas ape-
„rit.„ Neque aliter, ut au-
dio, de eo judicarunt in Gallia complures eruditi viri, ut adeo tacendum sit Φιλοσοπάτοις quibusdam & bonarum litterarum ferme rudibus viris, qui sibi infelici quodam litterariae rei fato Dictaturam nescio quam sine eru-

eruditorum ſuffragiis in liberrima olim Republica litterarum arrogaverunt, & ſi quos à ſe vel minimum diſſentientes putant fictis eos criminationibus & turpibus ludibriis ulciſcuntur.

Quod ad me attinet, id potiſſimum in hoc opere molitus ſum, ut Loiolitæ vel ſodalis ſui ſcripta palam improbarent, vel certè Harduinus ipſe latentiores ſuſpicionum ſuarum cauſas in medium proferret, & communicaret cum orbe litterato. Fructum tuli accuſationis meae, & quidem uberiorem haud paulò quam ſperaveram. Audio namque, quod jam (1) ſupra innui, damna-

(1) Ex Epiſtola Pariſiis Gallice ſcripta. *Le Pere Hardouin publiera dans peu de tems une Decla-*

damnatas palam esse ab Optimatibus Societatis Harduini opiniones; quae damnatio an sufficiat, cùm libri supersint, denuoque, ut eruditi norunt, Amstelodami edantur, ut totius Antiquitatis fides ab Harduino in dubium vocata, in tuto collocetur, erunt forte plurimi, qui non immerito dubitabunt. At quid futurum sit post hac, docebit dies. Haud erit, puto, cur me operam in hac lucubratione lusisse existimem. Erunt enim, opinor, qui agnoscent metuendum esse ne quod in Hispa-

nia

Declaration, par laquelle il reconnoît les Ouvrages des Saints Peres qui leur sont attribuez communement, & les Auteurs profanes que ces Peres ont citez. On dit que cette Declaration s'est faitte par ordre de la Societé, qui n'aprouve pas les sentimens particuliers du P. Hardouïn.

nia Loiolitae perfecerunt, idem in Gallia obtinere laborent; eoque formidabilius periculum esse judicabunt, quo certe superior est Harduinus in omni genere litterarum Hieronymo Romano de la Higuera, Hispanicae fraudis architecto; quod etiam necessarium fuit, in ea gente, quae & acutius videt quam Hispani, & tolerabiliore superstitionis jugo urgetur. Neque me, spero, poenitebit unquam opusculi hujus qualiscunque mei, ad quod elucubrandum accessi uno veritatis & Christianae religionis amore impulsus: nihil enim aliud cum haec scriberem mihi propositum fuisse intrepide profiteri possum.

IN

PRÆFATIO.

IN

P. HARDUINUM,

à V. CL.

eruditò ſcripto expugnatum.

HENDECASYLLABI.

NUgarum Pater ac ineptiarum
Antiſtes, pater atque ſomniorum,
Portis qualia Jupiter duabus
Nulla emittit ad obrutos ocellos,
Quos grato tenet otio ligatos
Morpheus placidiſſimus Deorum.
Sed nec talia Jupiter puſillus,
Qui Romae ſimulacra falſa Petri
Factat in Capitolio Deorum,
Irroret capiti tuo ſtupenda;
Etſi multa ſit hinc & hinc profecta
Digna fabula Naeviique ſcena
Ac quovis veteris modi theatro.
Cur haec auſa tuum terunt cerebrum?
Cur vexas querimoniis ineptis

Sum-

Summorum ingeniorum amoenitates?
Et per ſaecula cuncta, perque terras
Cunctas, qua ſteterat decus libellis,
In puriſſima cogitata Patrum,
In Graias Veneres Cupidineſque,
Romanas Veneres Cupidineſque,
Et quantus chorus elegantiarum eſt,
Exerces lacrimabilem ruinam.
Dulces litterulae parate vaſa,
Et jam porro novas migrate terras
Ad conſortia collium & ferarum,
Ad confinia ſola barbarorum,
Ad Laiſtrygonas ite & ad Cyclopas;
Major gratia ſtat parata vobis
Sub gente illepida & parum venuſta,
[Et quae quid nitidumve, quidve terſum
Urbanumve ſit, atque quid facetum,
Se neſcire perinde dicit, atque
Verum dicere Jeſuita neſcit]
Quam ſperare licet per Harduinum,
Qui veſtras genus optimum ſorores,
Et quarum patriam & domum patreſque
Noviſtis, faciles bonaeque Muſae,

Ut

Ut natas Jovis esse vos parentis,
Insulso sale & ore non faceto
Aevi opprobria nominavit, atque
Non vera face procreatum amorem.
Hujus sed temerarios libellos
Nullo aut exiguo fuisse naso
Factos, hic nitidus liber fatetur,
Qui vestris prope fluxit ab labellis.
Vos Patri, tenerae Deae, Harduino
Istis pro rabiosulis libellis,
Istis pro scabiosulis libellis,
Proque ausu temerario, profanum
Quo post Enceladum, fratresque diros,
Est ausus violare jura vestra,
Donate ut venientibus deinde
Annis, cùm Pater Harduinus ibit
Illuc unde negant redire quenquam;
Sit quales voluit Patres videri
Atque cetera nomina erudita,
Inter quotquot erunt in orbe doctos
Infamis, spurius, nothusque, & aevi
Monstrum, progeniesque adulterina.

NICOLAUS WESTERMAN.

VIN-

VINDICIAE VETERUM SCRIPTORUM, CONTRA J. HARDUINUM S. J. THEOLOGUM.

JAm dudum animum ſubiit ea conſideratio; inter illas dotes, quibus eruditio Chriſtiana ceteris omnibus antecellit, hanc unà cum aliis jure meritòque cenſeri, quòd rerum à prima Antiquitate geſtarum, ad aetatem uſque noſtram certiſſima omnium monumenta ſuppediter, nec quidquam cerum noverint homines in veteribus Hiſtoriis, iſi Chriſtianorum ſcriptis & lucubrationius utantur. Id non inviti fatebuntur, qui ud latè patentes Annales Sinenſium, rachmanum aliorumque Orientalium fabu-

las, Mahumedanorum ineptas narrationes, & putidiſſimas Rabinorum fabulas evolverint, ſimulque animum attenderint ad ea, quae tum in Profanis, tum in Sacris Antiquitatibus, eruditorum, qui inter Chriſtianos ab omni aevo floruêre, laboribus accepta referuntur. Nuſquam melius culta eſt doctrina temporum, nuſquam majori fide deſcriptae & aſſervatae omnium gentium Annales & Hiſtoriae, quarum, licet haud paucae temporum injuriâ perierint, tamen permultae ſuperſunt, quarum ope ab ipſis mundi natalibus ad noſtra tempora omnis aevi Hiſtoriam vir gnavus & induſtrius interruptè enarrare poſſit. Quam egregiam planè & illuſtrem ſanctiſſimae Religionis noſtrae dotem ſi quis nobis è numero profanorum invideret, haud eſſet, arbitror, quod ſuccenſeremus; nullum enim nobis ex eo periculum oriretur; imò, ni fallor, aliquid inde laudis accreſceret. At verò, quod vix credibile, inventus eſt inter eos ipſos, qui ſe quaſi ſtrictiore nodo Chriſtianiſmi ſanctionibus alligatos volunt, vir neque ingenio deſtitutus, neque eruditionis expers, qui omne genus monumentorum, quibus apud nos Res hiſtorica innititur, convellere aggreſſus eſt. Cujus conatus, cùm aliquando, niſi maturè refellantur, non eruditioni modò, verùm & ipſi

Reli-

Religioni Christianae pernicioſos fore judicem, ſincero veritatis amore impellor, ut derelictam ab aliis Antiquitatis defenſionem in me ſuſcipiam. Quem laborem meum nemo, puto, vituperabit, ubi manifeſtum fecero, id eum Scriptorem moliri, ut labefactato omni eruditionis apparatu, ſuppoſititiam quandam congeriem fabularum in medium proferat, quarum ope falſi damnatis iis ferè omnibus, quae pertinent ad veram rerum geſtarum cognitionem, nugae prope aniles inducantur, quibus opiniones Pontificiorum & recentiſſima Loiolitarum figmenta fulciri poſſint. Rem ergo ſeriò aggrediar, poſtquam breviter illius facinoris, de quo nobis agendum eſt, auctorem deſcripſero.

Joannes Harduïnus, S. J. Presbyter, Corisopiti in Britannia Aremorica natus, poſtquam adoleſcentiam ingreſſus eſt, Societati Jeſuïtarum, in quorum Collegio primis Latinae linguae elementis imbutus erat, nomen dedit. Ingenii ſagacitate ſtatim inaruit & facilitate morum, quae duae res in monaſticis Conventibus plurimùm poſſunt. Litteras humaniores pro more Societatis adoleſcentes docuit, & abſoluto ipſe ſtudiorum ſuorum curriculo dignus Superioribus ſuis viſus eſt, qui fratres ſuos Theologiam docereт,

ceret, cupidoſque ſolidioris diſciplinae ad Sacrarum Litterarum & Ebraicae linguae cognitionem informaret. In quo quid profecerit, id mihi non ſumo, ut judicare audeam; neque valde opus eſt, cùm aliundè conſtet, ſeſe Harduïnum Superioribus ſuis probaſſe, & dignum fuiſſe judicatum qui Petavii Dogmatibus Theologicis, quibus imperfectis eruditiſſimus Auctor immortuus erat, ſupremam manum imponeret. Quod utiliſſimum conſilium, cur non fuerit exſecutus, fruſtra hîc inquirere laborarem, ad alia longè majoris momenti feſtinans, quae lucubrationi mihi ſuſceptae cauſam praebuerunt. Praeteribo itaque contentiones duras ſanè & moleſtas, diu & acriter inter eum & Valentium, magni nominis Antiquarium, agitatas, partim quòd ad argumentum meum non omnino pertineant, partim quòd non ita lateant, ut eas hîc in apricum proferre neceſſarium videatur. Neque controverſias memorabo, quae ei interceſſerunt cum Noriſio Cardinale; quem de Harduïno haud ita benignè ſenſiſſe, nemo neſcit; cujus viciſſim memoriam, non Harduïnus modò, verùm etiam totus grex Jeſuïtarum cane pejus & angue Janſeniſmi nomine oderunt. Unde nec ſibi temperavit Harduïnus, cooptato Noriſio in Collegium Cardinalium, quin

animi

animi sui indignationem hoc non illepido Epigrammate fateretur :

Si meritò Tyrio fulget Notisius ostro,
Debuit Iprensi trina corona dari.

Uti autem in odio in Jansenistas exercendo, Societati suae morem Harduinus ubique gessit, ita non minus alia quavis in re bonis Patribus idoneus visus est, cui summa quaeque Ordinis arcana crederentur. Ex quo iteratâ professione votorum, Romano Episcopo nodo strictiore mancipatus est : jam omnium Societatis consiliorum particeps factus, majora moliri coepit, quae hîc cum orbe litterato communicare constitui. Viderunt jam olim Jesuitae, monstrantibus non paucis eorum, qui ductu Evangelii feliciores Christiani cultûs semitas ingressi sunt, Traditiones scriptas, quas apud rerum antiquarum ignaros magnifico tumore verborum ostentare solent, in plerisque fidei Romanae capitibus nutare, & in iis praecipuè, quae quasi fundamenta sunt omnium controversiarum cum Reformatis, nudos & inermes deserere defensores suos. Id autem cùm fateri non possint, sine ipsa pernicie illius Ecclesiae, quam defensam volunt, ad alias subinde artes confugere decreverunt. Contendunt nimirum, hodie passim negligen-

dam esse Antiquitatem, Patres falsariorum manus esse passos, in permultis recentiorum auctoritatem esse anteponendam. Quae quidem opiniones eâ arte in medium prodierunt, ut ne tamen ubique & ab omnibus docerentur: grandi enim innituntur secreto, quod maximae adhuc Sociorum parti latuit, neque cum ullis fortè, nisi cum exiguo initiatorum numero communicatum est. Hîc me nemo conjecturis nimium indulgere arbitrabitur, qui meminerit, quo studio quâve industriâ supposititios Antiquitatis foetus tum tueri, tum in medium proferre conati sint. Hinc non irriti, saltem apud eos, Turriani labores; hinc Higuerae turpissimi foetus, multaque ejuscemodi, de quibus infrà fusius acturus sum; hinc denique non semel repetiti Harduïni conatus, totius prope Antiquitatis memoriam abolere gestientis, ut novâ Traditione inductâ novitati Papatûs larvam vetustatis imponat.

Eâ porro molitione quid detrimenti rei litterariae afferri possit, ii praesertim intelligent, qui Societatis artes norunt, quae ut initio opiniones suas timidiusculè exponere solet, ita postquam diuturnitate temporis nonnihil confirmatas sentit, eâ gratiâ abutitur, quâ apud Reges pollet, & omnes potentissimi corporis nervos intendit, ut id demum

demum tutò possit & audacter aperire, quod diu reconditum intra privatos parietes continuerat. Neque id exemplis confirmare studebo. Quid enim? Est quisquam qui nesciat, quàm verecundè & cautè Molinae sui novitates initio tuiti sint? Eas tamen hodie modestiae veteris immemores, ita extollunt, ut orthodoxae veritates partes iis unis demandari velint. Neque pluribus aliis in rebus, quarum oppidò fastidiosa foret enumeratio, se aliter gesserunt boni Patres, quos prudentiâ civili & politicis artibus omni hominum generi antecellere, nemini ambiguum est.

Illas praetereà leges in Loiolitarum Societate vigere certum est, quibus id nulli Sociorum liceat, quod Praefectorum consensu non approbetur: unde meritò affirmamus, ea in re nihil contra eorum mandatum & voluntatem ab Harduino esse tentatum. Et sanè id ipsa approbatio manifestò testatur CHRONOLOGIAE VETERIS TESTAMENTI praemissa, ex qua Harduini illud scriptum, quo omnis exterminatur Antiquitas, à tribus Societatis Theologis lectum fuisse & probatum apparet. Neque id negligendum crediderim, quod in PROLUSIONE DE NUMMIS HERODIADUM, quae triennio vetustior est, nulla Theologorum mentio fiat, una Provincialis sub finem operis permissio

legatur. Scilicet id Jesuitae metuere visi sunt, ne in saeculo aliàs novitatum avidissimo, novis Harduïni opinionibus periculum aliquod Societati crearetur. Ubi tamen se à nemine accusari, unum Harduïnum explodi, rideri, doctis fermè omnibus ludibrio esse viderunt, ipsi conjuncti cum aliis admirari coepere; sic enim prae se ferebant, tanto ingenio hominem in tam absurdas opiniones incidisse. Quod à multis eorum palam jactari plurimi è numero eruditorum audiverunt, sincerè, ut puto, in plerisque; neque enim cum quibuscunque Sociorum prudentissima Societas arcana sua communicat. Ipsi sanè Patres id operam se daturos initio professi sunt, ne liber venderetur, in quo plurimis eruditorum mirè fucum fecerunt, qui librum, quem rarissimum aliquando fore arbitrabantur, caro satis pretio sibi paravere. Eâdem arte post editam Chronologiam usi sunt: at non ita feliciter; jam enim suboluerat fraus non paucis eruditorum.

Si quis autem incoeptum, quo nihil absurdius excogitari potest, à mente Patrum alienum judicabit, is meritò eas fraudes, quibus tot hominum animos fascinaverunt, ignorare censebitur. Ex quo docendae juventutis munus sibi unis ubique terrarum credi voluerunt, sensim imminuta sunt studia litterarum, quae

in

in iis Provinciis, ubi soli regnant, jam aut nulla sunt, aut ita exilia, ut pro ferè deperditis haberi possint. Id testantur Hispania, Lusitania, Italia, Bohemia, Polonia, ubi ante Jesuïtarum adventum, litterarum studia floruerunt, hodie tamen in antiquam barbariem delapsae, nec ullius scientiae gnarae, nisi Scholasticae Theologiae, aut Casuisticae, cujus posterioris ope errorum genus omne propugnant, Christianorumque animos à sincerioris vitae studio abalienare student; cùm in iis, quae ad conscientiae jura pertinent, perspicuitas, experientiâ teste, argumentatione elevetur. (1) Hinc eos barbariem moliri, ut pote qui in perniciem litterarum & litteratorum nati essent, vir celeberrimus, Senator Parisiensis, idemque Clericus è Communione Pontificiorum, ante saeculum pronuntiavit.

Praetereà quàm proni sint ad omne mendaciorum genus, quot narrationibus, nisi aliò properarem, testari liceret! Rem paucis exemplis illustrabo, ne fortè accusatio demonstratione destituta, calumnia videatur. Quodcunque mendacium induxit inter homi-

(1) *Ces Jesuïtes qui n'estudient qu'à faire esclore la barbarie qu'ils couvent il y a long-tems*, in perniciem litterarum & litteratorum nati. *Gillot, Epitres Françoises à Joseph Scaliger, pag. 262.*

nes vel ambitiosa superstitio, vel hominum Religionem simulantium avaritia & cupiditas, id totum Jesuïtarum defensionem meruit, qui ob id unum ceteris Ordinibus monasticis accessisse videntur, ut veteres Ecclesiae suae fabulas ornarent & amplificarent. Ita Jacobus Gretserus, vir doctissimus, imagines non manu factas, quas vocant, quae ingenti numero à Pontificiis coluntur; Melchior Inchofer Epistolam fictitiam Divae Mariae ad Messanenses; Horatius Tursellinus translationis Casae Lauretanae libris editis in vulgus, propugnare susceperunt. Fatentur homines cordati inter Pontificios, malas nonnunquam artes in commendandis Sanctorum Reliquiis adhiberi; nec id inficiantur plurimi, qui nondum omnem pudorem & veritatis amorem abjecerunt. Veterum inventus est in re tam manifesta Joannes Ferrandus, Loiolita Aniciensis, qui in (1) *Disquisitione Reliquiaria*, magnae molis libro, quicquid de Sanctorum unquam Reliquiis ineptè, absurdè, impiè dictum est, id totum tanto ardore animi tuetur, ut de inconcussis sanctissimi cultûs fundamentis propemodum agi videatur. Cùm illud non leviter turbet rationes Pontificiorum, quòd tria, imò plura aliquando eorumdem Sanctorum capita superstitiosae plebi variis

(1) *Typis edita in 4. Lugduni, anno 1645.*

riis in locis adoranda proponantur; Ferrandus ne quid unquam fateatur, vel leviſſimae fraudis eſſe admiſſum, id miraculo fieri docet; *replicata*, nimirum, *& multiplicata*, ſic enim loquitur, Sanctorum membra contendit. Quam in rem ipſum ineptias ſuas effutientem audire operae pretium eſt: „ (1) Unum „ mihi ſat erit in praeſentia dicere, ſupremum „ Numen ſuam dubio procul explicuiſſe po„ tentiam in iis nominatim reliquiis multipli„ candis, ſeu replicandis, quae reverà non„ niſi unae ſecundum entitatem, & naturâ ſuâ „ ſingulares exiſtere poterant; ut ſunt, verbi „ gratiâ, praeputium, ſanguis, aliaque id „ genus, quae cùm ad corporis Chriſti per„ fectionem faciant, vel quae cum ipſo, vel „ ab ipſo traxerint originem, nec multiplices „ eſſe, nec diu illibatae ſeu integrae ſervari „ poterant, niſi divina vis mirabilem in mo„ dum acceſſiſſet. Idem in aliis permultis „ ſingularibus Chriſti Divorumque Reliquiis „ videre eſt. „ Apage deteſtabiles nugas, quibus nihil horribilius confingi potuiſſe Chriſtiani omnes, qui verè Chriſtiani ſunt, haud aegrè fatebuntur.

Quid aut ineptius confictum eſt, aut ma-

(1) Ferrandus, Diſquiſit Reliquiariâ, pag. 7. Adi Baelium, *Nouvelles de la Rep. des Lettres*, Octob. 1685. pag. 1126. *de la ſeconde édition.*

gis abhorrens à veris Antiquitatis Ecclesiasticae fontibus, quàm veterum Pontificum Epistolae Decretales, quae tamen Franciscum Turrianum Loiolitam, acerrimum defensorem nactae sunt, hodie nihilominus ubique propemodum explosae, cùm vel invitam Romam, in tanto litterarum splendore tam inepti commenti puduerit? Neque Dionysium Pseudo-Areopagitam pluris faciunt eruditi, etsi asserterem suum & ipse habeat è Societate Loiolitarum, Martinum Antonium Delrium Hispanum, non exigui nominis Auctorem. Criminis longè detestabilioris jam pridem reum fecerunt eruditi Hieronymum Xaverium Cantabrum ex eadem Societate, qui cùm divinâ Sacro-Sancti Jesu Christi Evangelii simplicitate offenderetur, ex apocryphis Haereticorum fabulis novum Evangelium Persicè consarcinavit, ut unâ eâdemque operâ fucatum splendorem Evangelicae praedicationi adderet, & Episcopi Romani falsas Traditiones tueretur. Proh Dei hominumque fidem! Itane tandem licebit lucem cum tenebris, & veritatem cum turpissimis impiorum hominum mendaciis confundere? Verùm nihil est, quod Jesuitae, cùm res eorum aut Pontificia agitur, sibi jus fasque non putent.

Jam verò quàm mendaces sunt, quotiescunque extollunt res domesticas, aut ubi deprimunt

primunt adverſariorum ſuorum egregia facta, & manifeſtas ingenii & animi dotes! Nemo Jeſuïta, niſi ſanctus, apud Alegambium in Bibliotheca Scriptorum Societatis: nemo eis inimicus, niſi impius, facinoroſus, aut ſaltem, ſi deſunt aliae criminationes, Haereticus; ut hoc omnino affirmare liceat: quemadmodum omnem in ſe veritatem ſitam eſſe Chriſtus confirmavit; ita Jeſuïtarum ſectam in ſe concluſiſſe videri vim omnem malignitatis & mendaciorum. Narrabunt alii accenſas ab eis funeſtiſſimorum bellorum faces, quorum dudum incendiis Europa deflagravit; neque fortè reticebunt eas fraudes, quibus aut in alliciendis & ineſcandis hominibus utuntur, aut in ulciſcendis iis, à quibus ſibi metuendum putant, ego perpaucis eorum facinora delibaſſe contentus, poſteaquam oſtendi nihil in eo, de quo modò agitur, incoepto inſtituendo, admodum alienum eſſe ab indole Jeſuïtarum, ipſum Harduïnum cominùs aggrediar, primaque impii Syſtematis lineamenta ob oculos ponam, & in quibuſdam, ut commodius refellere poſſim, interpretabor.

Edidit Harduïnus ſuperioris ſaeculi anno XCIII. CHRONOLOGIAE EX ANTIQUIS NUMMIS RESTITUTAE PROLUSIONEM DE NUMMIS HERODIADUM, in qua ſtatuit, timidè tamen & quaſi

ſub aliena perſona latens, quid de pleriſque veterum Auctorum ſcriptis ſentiendum eſſe velit. Sed ipſum loquentem audiamus; neque enim res aliter intelligi poſſe videtur: „ (1) Afferam hoc loco non *inanis* quidem „ ſemper *conjectoris*, ſed nunc tamen plus „ juſto fortaſſis ſuſpicioſi, ingenioque ni„ mium indulgentis hominis conjecturam. „ Accipiet quiſque, ut volet. Deprehen„ dit ille, ut quidem muſſitabat nuper no„ biſcum, coetum certorum hominum ante „ ſaecula neſcio quot extitiſſe, qui Hiſto„ riae veteris concinnandae partes ſuſcepiſ„ ſent, qualem nunc habemus, cùm nulla „ tunc exſtaret; ſibi probè notam illorum „ aetatem atque officinam eſſe; inque eam „ rem iſtis ſubſidio fuiſſe Tullium, Plinium, „ Maronis Georgica, Flacci Sermones & „ Epiſtolas: nam haec ille ſola cenſet; quòd „ vereor, ut cuiquam ſuadeat, ex omni La„ tina Antiquitate ſincera eſſe monumenta, „ praeter Inſcriptiones admodum paucas, Fa„ ſtoſque nonnullos. E ceteris ſcriptis monu„ mentis, qui hodie valde ſudant, ut conci„ liatis, quantâ licet ingenii vi, ſententiis, „ inter ſe plerumque diſſidentibus, Hiſtoriae „ corpus unum integrum repraeſentent, eos „ ſibi videri aiebat ex pluribus fabulis novam „ alte-

(1) *Prolusio*, pag. 60, 61.

„ alteram velle fabricari ac ſcitè concinnare,
„ ſecum omni ex parte aptius cohaerentem.
„ Addebat iliis Annalium architectis majori
„ fuiſſe adjumento magnam nummorum anti-
„ quorum, quam diligentiſſimè congeſſerant,
„ ſupellectilem. Horum poteſtatem in pri-
„ mis fuiſſe penes totius conſilii principem
„ ac primariuni operis architectum; cui,
„ propterea quod, ut theſaurum draco, ſic
„ ille nummos in arca incredibili ſollicitudi-
„ ne cuſtodiret, nec niſi parcè admodum eo-
„ rumdem uſum conſpectumve ceteris imper-
„ tiret, jocosè ſodales geminum SEVERI
„ ARCHONTII nomen fecere: alterum
„ Latinae conſuetudinis, à moroſitate; Grae-
„ cum alterum ab eo, quem inter eos gere-
„ ret, veluti magiſtratu. Tamen illis arti-
„ ficibus multò minorem numiſmatum vete-
„ rum copiam, quàm noſtrae huic aetati fuiſ-
„ ſe ajebat, Graecorum praeſertim: & La-
„ tinos, quos in manibus habuit, ut praepro-
„ pero opere uſuvenit, praepoſterè ſaepenu-
„ mero intellexiſſe.„

Quanto ſtupore perculſi ſint omnium gentium eruditi, ubi haec in vulgus emanare coeperunt, non eſt opus ut moneam: multorum adhuc mentibus haeret rei memoria penè recens, nec ulli fermè eorum latet, qui litteras humaniores colunt. Verùm admirari ſubit,

ſubit, haec adeò contemtim habita, ut nemo inventus ſit, qui impio facinori obviam ire vellet; quod ego ei opinioni potiſſimùm tribuo, quae eruditorum animos occupavit, nihil ab ejuſmodi ineptiis periculi imminere, unum Harduïnum morbo mentis in abſurdam ſententiam incidiſſe, à nemine defenſam aut defendendam, & unà cum ipſo auctore ſuo interituram. Qua in re ſi ego ab aliis diſſenſero, id nemo, arbitror, mihi vitio vertet, cùm jam nonnullas rationes attulerim, quibus, ni fallor, confirmavi, unius Harduïni periculo rem ſuſcipi, jam pridem toti Loiolitarum Societati exoptatiſſimam. Ulterioribus praetereà argumentis idem infrà demonſtrabo, plura etiam in praeſentia dicturus, niſi ipſâ rationum copiâ obrutus huicce Diſputationi modum aliquem & finem facere conſtituiſſem. Porro antequam Harduïni verbis preſſius inſiſtam, id minimè praetereundum eſſe cenſeo, quod ad hujus ineptiſſimi Syſtematis hiſtoriam & elementa omnino pertinere videtur. Jam triennio antequam *Proluſionem* ederet, commentorum ſuorum famâ quâdam eruditos adſperſerat, (1) in Defenſione

(1) *Au reſte il eſt bon d'avertir le public que le P. Hardouin a découvert, à ce qu'il dit*, que de tous les Ouvrages, qui portent le nom de St. Juſtin Martyr, il n'y a que le Dialogue avec Tryphon qui ſoit veritablement de

ſione Epiſtolae Chryſoſtomi ad Caeſarium. Ibi ſive quod omnes animi ſui ſententias propalare nondum audebat, ſive potius ut levi tentamine eruditorum patientiam experiretur, particulas quaſdam nugarum ſuarum expoſuerat in lucem, quaſi praevias Syſtematis amplioris brevi conſecuturi. Scripta Juſtini omnia, praeter unum cum Judaeo Tryphone Dialogum, Patreſque quoſdam Latinos falſitatis arguebat. Verùm nondum eo proceſſerat audaciae, ut ceterorum prope omnium & Patrum & Hiſtoricorum auctoritatem ſuſque deque haberet, quos nunc ad unum omnes, ne ipſe quidem excepto Juſtini Dialogo, ejiciendos eſſe ſentit, ut evidenter à nobis infrà demonſtrabitur. Ipſa verò Harduïni verba è *Proluſione* nobis attentius in praeſentia conſideranda ſunt; quod ipſum ita candidè fiet, ut neminem inventum iri ſperemus, qui nos animi affectibus quicquam indulſiſſe, aut con-

de lui, & que tout le reſte eſt ſuppoſé. *Il dit encore*, que Facundus, Liberatus, Marius Mercator, Victor de Tonone, le Caſſiodore, à qui l'on attribuë tant d'Ouvrages, excepté les Formules, le Traitté de l'Ame & les Commentaires ſur les Pſeaumes; l'Iſidore, qu'on dit être l'Auteur du livre des Ecrivains Eccleſiaſtiques; que tous ces pretendus Africains, Italiens, Eſpagnols, avec quelques autres ſont nez en France, & qu'ils ne ſont pas à beaucoup près ſi vieux qu'on les croit. *Bibliotheque Univerſelle, an.* 1690. *Tom. XIX. pag.* 557.

conjecturam ullam malo animo inductos temerè feciſſe affirmet.

Ut autem ab *inani illo conjectore* exordiamur, eum Harduïnum ipſum eſſe, credo, palam eſt: haud enim quiſquam probabile judicabit, tam magnae & admirandae novitatis Auctorem uni Harduïno myſteria ſua prodidiſſe, tantique inventi gloriâ apud poſteros carere voluiſſe. Proinde, nemo nos hîc *inanes conjectores* exiſtimabit; in re enim perſpicua verſamur, praeſertim cùm Harduïnus, qui hîc diſſimulat proprio Societatis ſuae (1) beneficio uſus, in poſteriori libro ſe totum aperiat, neque jam ullis verborum ambagibus utatur. „ Deprehendit ergo, coetum cer„ torum hominum ante ſaecula neſcio quot „ extitiſſe, qui Hiſtoriae veteris concinnandae „ partes ſuſceperunt „; neque id deprehendit modò, ſed etiam *ſibi probè notam illorum aetatem atque officinam* jactat. Haec oppidò ridicula eruditis omnibus viſa ſunt: mihi, ne quid diſſimulem, cum ſummo periculo rei litterariae conjuncta apparent. Unde enim aetas eorum veteris Hiſtoriae architectorum Harduïno perſpecta eſt, niſi fraude peſſimâ boni Socii jam aliquid comminiſcuntur, aut commenti

(1) Beneficio Æquivocationis, ſic dicto ab Henrico Garnetto, Conjurationis Pulverariae auctore. *Vide Caſaubon. Epiſtola ad Frontonem Ducaeum.*

menti ſunt, quo omnibus omnium aetatum Hiſtoriis & Scriptoribus certiſſimam aliquando peſtem inferre poſſint? Videlicet ita ſe res habere videtur: jam omnia comparata ſunt, ut fumoſos aliquando codices Loiolitae oſtentent, quibus animi ſui mala ſomnia fulciant: jam membranae manus falſariorum paſſae fumum in caminis bibunt, ut olim Antiquitatem in damnum Religionis & rei litterariae mentiantur. In quibuſdam tamen ſibi & ſuis peſſimè conſuluiſſe cenſendus eſt *inanis* ille *conjector*, *plus juſto ſuſpicioſus*, quòd Tullium, Plinium, Maronis Georgica, Flacci Sermones & Epiſtolas ſola cenſet ex omni Romana Antiquitate ſincera eſſe monumenta: videbimus enim infrà, vel unum Ciceronem Harduïni nugis ſaepe contrarium inveniri. Porro cùm in ſuſcepta deliberatione inſtaurandarum Hiſtoriarum ex veteribus Inſcriptionum & Numiſmatum monumentis, multorum conſiliis, laboribus, vigiliis opus fuerit, neque quicquam in plurimorum Conciliis & Conventibus Anarchiâ periculoſius ſit, ipſaque Loiolitarum Societas, cujus ſanctitati & moribus caſtiſſimis Romana res innititur, uni capiti pareat; Harduïno neceſſarium viſum eſt, ut & illi Principem haberent, qui res tam arduas, mutuiſque diſſenſionibus obnoxias mo-

lie-

licbantur. Is ergo inventus eſt Harduïno ſagaciter indaganti, apud eum Auctorem, quem Flavium Vopiſcum vocant eruditi, quemque unà cum aliis (1) *ante annos ferè quingentos, exſecranda & deteſtabilis officina effudit.* Is fuit ergo celeberrimus olim futurus SEVERUS ARCHONTIUS, vir adhuc ignobilis, (2) uni Flavio Vopiſco memoratus, qui quòd Firmi Tyranni nummos protulerit, *princeps ac primarius* nefarii *operis* architectus cenſebitur, ſi modò Harduïno crediderimus, ita jubenti, ita volenti. Quanquam totam rem aliò referendam, & ſub SEVERI ARCHONTII nomine Principem illuſtriſſimum & longè celeberrimum, ut latere ſuſpicer, ipſe me Harduïnus impellit. Quod ut evidentius fiat, jam abſolutâ primâ teterrimi mendaciorum fontis demonſtratione; quid ulterius moliatur Harduïnus, quàm breviſſimè potero, ex variis diſperſiſque & *Proluſionis* & *Chronologiae* locis oſtendere conabor.

Modò vidimus monente Harduïno, *ante annos ferè quingentos*, (3) *unam quandam*, quae *inter alias* nonnullas *eminebat officinam magnam falſorum ſcriptorum ſegetem, de rebus*

(1) *Proluſio, pag.* 68. (2) *Vopiſcus in Firmo Hiſt. Auguſt. Tom. II. pag.* 692. & *Harduïnus Proluſ. pag.* 79. 80. (3) *Proluſ. pag.* 68.

bus tum sacris, tum profanis effudisse: (1) Vidimus item, *illorum aetatem atque officinam* Harduino probè notam esse. Nobis sanè non parum consuluisset, si clarius cum eruditis communicasset arcana systematis sui; verùm sibi & opinioni suae commodius eventurum judicavit, si sententias suas pro more Societatis *tempori maturandas* relinqueret. Nos tamen quicquid ejus vestigiis insistentes divinando & conjiciendo indagare poterimus, id non invidebimus orbi litterato.

In aetate ne incerti haereamus, non uno loco nos monet id facinus, quod exsecrandum & detestabile vocat, ad saeculum à Christo natum (2) XIII. pertinere. Neque major esse videtur de officinae loco difficultas: ut enim taceamus Gallicismos, quos in Josepho, Thucydide & aliis se observasse narrat (3), Eusebii Caesariensis Historias in Gallia post Byzantium à Francis captam fuisse confictas, aenigmaticè quidem, sed certò, ut infrà videbitur, innuit. Praetereà Artaxerxis Longimani, alterius Artaxerxis Mnemonis, Darii Nothi cognomina (4) *in unum quemdam Principem convenire*

(1) *Prolus. pag.* 60. (2) *Ibid. pag.* 68.

(3) *Chronol. restit. pag.* 35. (4) *Ibid. p.* 153. Friderici II. natales aliquibus fuisse suspectos narrat Thomas Fazellus *in Decadibus Hist. Siculae lib. VIII. cap.* 1.

nire ferebantur, quo tempore inventa primum haec nomina ſuſpicatur Harduïnus, *cujus nomen, ut Sibyllicè loquatur, fuit tetraſyllabum, decem litterarum, quarum eſſent quinque vocales: ſumma ex iis Graecè*, 1599. Ubi Fridericum II. Imperatorem Romanum non obſcurè deſignavit; quem ſi fraudis architectum eſſe credit, nae ille ſummè injurius eſt in famam & nomen Maximi Imperatoris, qui dira paſſus ab aetatis ſuae Pontificibus Romanis; nulla fortè in re peccaſſe cenſendus eſt, niſi quod poteſtatem Imperatoriam calumniis & injuriis Pontificum undique preſſus, mollius quàm par erat, aliquando vindicaverit.

Jam quâ mente fuerint, qui res moliebantur tantae difficultatis & tam ardui laboris, ſi quis ab Harduïno quaeſierit, is audiet *nefariae fraudis architectos eodem*, (1) *quo Calviniani hodie aguntur, adverſus ſacrum Epiſcoporum ordinem, odio agitatos fuiſſe*; nonnullos eorum fuiſſe *homines Atheos*, (2) *quibus pro Deo eſſet ſive natura, ſive bonum aut ens univerſale*;

cap. 1. *Adde Dict. Baelii, pag.* 1512. 1513. Eum Imperatorem praetereà memoriâ polluiſſe & cognitione linguarum, nemò neſcit. Unde certò efficitur, hîc Fridericum deſignari. Verùm in ejus nomine non ſunt plures quàm quatuor vocales. Sed Sibyllicè loquitur Harduïnus. Duplex ρ vocalem facit, duabus ſemi-vocalibus pro una vocali computatis. Φρειδερίχος, 1599. (1) *Chronol. reſt. pag.* 35.

(2) *Ibidem, pag.* 30.

verſale ; denique officinae illius homines id eſſe molitos, (1) ut *fidem eam labefactarent, quae de Dei exiſtentia, natura & proprietatibus, ſive attributis, de tribus perſonis, in unica ſimplici eſſentia realiter inter ſe diſtinctis ; de Chriſto Deo homine ; de Sacramentorum numero, vi, & efficientia, de Epiſcoporum ſupra Presbyteros praerogativa ac proprio charactere ; de ceteris Religionis Chriſtianae capitibus, per traditionem ab Apoſtolis & Catholicae Eccleſiae Epiſcopis, uſque ad nos dimanavit.* Haec planè mira ſunt; at quorſum tendant, facilè ii perſpicient, qui ea recordabuntur, quae à nobis ſuperius eam in rem allata ſunt. Sed iterum Harduïnum audiamus ſententiam ſuam nihil diſſimulantem, & prodentem arcana myſteriorum aut ſua, aut quod probabiliſſimum eſt, Societatis ſuae: (2) *Itaque ſi quis fortaſſis adverſum nos exſerere ſtylum voluerit, ne ille nobis vetuſtos Scriptores opponat, à quibus diſſidemus ; nam eſſe plurimos ultrò confitemur, quibus quod minus quàm Libris Sacris credimus, quis tandem jure reprehendat ? Nam cur ab his diſſideamus, hanc unam (ut dictum eſt) in praeſenti cauſam afferimus, dilatis in aliud tempus ceteris, quod nemo eorum vel cum vulgata Sacrae Scripturae editione, hoc eſt, cum verbo Dei, quod unum agnoſci Sacro-*

(1) *Chronol. reſtit. pag.* 8.
(2) *Ibid.*

Sacroſancta Synodus Tridentina juſſit, ac ne cum Hebraeo quidem fonte conſentiat.

Haec ideò repraeſentanda duxî, quod clariſtimè Harduïni mentem aperiant, Traditioneſque Pontificias adeò decantatas planè labefactent & evertant. Ergo Latini Patres, ergo Graeci etiam vetuſtiſſimi, quorum hi LXX. virali, illi Italicâ verſione uſi ſunt, quae è ſuperiori deſumta erat, ob id unum, ſi Harduïno crediderimus, exterminandi erunt, & ad SEVERUM ARCHONTIUM, Loiolitici cerebri figmentum, amandandi. Cautè omnino: neque enim omnia Traditione defendi poſſunt, niſi Traditionem ipſam Calvinianis nimium faventem Harduïnus antè purgâverit & inſtaurarit. Periculum tamen erat, ne haec tanquam malè fulta labarent, niſi (1) Ogygia vulgatae verſionis Antiquitas ita ſanciretur, ut ſuprà Origenis ipſius tempora aſſurgeret. Hinc fruſtraneae, ne quid de aliis dicam, editiones Hieronymi & Auguſtini, quorum ille Vulgatae primarius auctor eſſe credebatur; hic Janſeniſmo, haereſi ſanctiſſimis Molinae diſcipulis vehementer exoſae, originem dedit. In eo etiam egregiè Loiolitae ludificabuntur Monachos horum Patrum editores, qui cùm divitiis abundent, neque ſe facilè Societatis Patribus ſpoliandos prae-

(1) *Ibid. pag.* 4.

praebeant, ab iis non immeritò in Haereticorum numerum referuntur.

Verùm ab Antiquitatis inſtauratoribus nondum nos diſcedere patitur Harduïnus. Neminem aliis plurimùm nocere poſſe, niſi multis, iiſque eximiis animi dotibus emineat, jam pridem experientiâ veteri comprobatum eſt. Id de Archontianis, ſi quidem Harduïno crediderimus, nobis planè pronunciandum erit. Athei fuerunt, omnis ſacroſancti Chriſtianorum cultûs hoſtes, idque unum in animo habuere, ut divina myſteria ludibrio profanorum exponerent. Erant tamen omni litterarum genere inſtructiſſimi, Graecae, Latinae, Ebraicae, omnium denique linguarum & Dialectorum ad miraculum periti, neque vulgarium expertes (1), cùm Saxonica Dialecto falſae Antiquitatis monumenta commenti ſint, ipſaſque litteras ejus linguae aliquantulum abhorrentes à Latinis confinxerint. Quin etiam in Ægyptum uſque excurrentes novam linguam excogitarunt, & mirâ facilitate in tam arduo conatu Orientalibus & Occidentalibus Eccleſiis impoſuerunt.

Quodnam autem vitae genus ea planorum congregatio profeſſa fuerit, ex Harduïni ſcriptis nemo liquidò affirmaverit. Scio ſanè, eum hîc Monachos è familia Benedictinorum

(1) *Chronol. reſtit. pag.* 34.

ctinorum intellexiſſe, multorum conſenſu tradi, quam in ſententiam facilè conceſſero, cùm ea de re ſaepius interrogatus Harduïnus, id negare non ſuſtinuerit. Quin etiam, poſteaquam auxiliares ei copias Germonius ſuppeditavit, vix dubitandum eſt, ad Fanum San-Dionyſianum & ad ceteras Ordinis Benedictini Congregationes rem eſſe referendam. Cur enim Diplomatum celeberrimae Abbatiae fidem tanto ardore elevare conantur, niſi ut unâ eâdemque operâ corruat omnis Manuſcriptorum librorum auctoritas; & Monachi, qui tot antiquis Scriptoribus conſervandis ſoſpitatrices manus attulerunt, in turpiſſimae fictionis invidiam vocentur?

Porro me jam ad ipſum Harduïni ſyſtema refellendum accingam; quod etſi permultis attentione Doctorum indignum fortaſſe judicabitur, mihi tamen ob illud periculum, de quo jam non ſemel actum eſt, vel ideò confutatione dignum apparet, ne aliquando ei naſcenti à nemine obviam itum eſſe Jeſuïtae pro more ſuo aſſeverent. Sanè, ſi quis perſpexerit, quantum poſſint ab infantia ſemel inductae opiniones, quantumque regnent Loiolitae ubique terrarum in erudienda juventute, is ſtatim agnoſcet, nihil eis aliquando fore facilius, quàm breviſſimo temporis ſpatio, opinione depravatae, vel ſal-

sem

tem ſuſpectae Antiquitatis maximam Europae partem faſcinare. Quod ne eveniat, ſi quidem operâ meâ minus effici poterit, erunt alii fortè, qui exemplo meo incitati, rem & doctius aggredientur, & felicius perficient. In quo nondum quidquam à quoquam tentatum eſſe memini, niſi ab eruditiſſimo Chriſtophoro Cellario, Profeſſore Halenſi, qui in (1) Diſſertatione erudita Flavium Joſephum ab Harduïni accuſationibus vindicare laboravit. Si quiſquam verò alius totum Harduïni ſyſtema labefactare aggreſſus eſt, is ſanè mihi adhuc latuit, qui hoc argumentum ob id unum ſuſcepi, quòd ab aliis derelictum eſſe cenſebam.

Jam verò ut rem ipſam cominus aggrediamur, quid de eo SEVERO ARCHONTIO cenſebimus, quem deteſtandae fraudis auctorem Harduïnus comminiſcitur? Haud enim ex iis, quae modò adducam, Flavii Vopiſci verbis, Harduïnum hîc in animo habuiſſe certum eſt, vel leviſſimum legitimae ſuſpicionis momentum ſuboriri poteſt: „ (2) Scis, inquit Fla„ vius Vopiſcus, in Firmo, quanta nobis „ contentio proximè fuerit cum amatore Hi„ ſtoriarum M. Fonteio, cùm ille diceret,

 „ Fir-

(1) *Ea diſputatio typis edita eſt Halis Saxonum, anno* 1696. *in* 4. (2) *Hiſtor. Auguſtae Tom. II. pag.* 692.

„ Firmum, qui Aureliani temporibus Aegy-
„ ptum occupaverat, latiunculum fuiſſe, non
„ Principem: contrà ego, mecumque Ru-
„ fus Celſus, & Ceionius Julianus, & Fa-
„ bius Soſianus contenderent, dicentes illum
„ & purpurâ uſum, & percuſſâ monetâ
„ AUGUSTUM eſſe vocitatum. Quin
„ etiam nummos ejus SEVERUS AR-
„ CHONTIUS protulit: de Graecis au-
„ tem Aegyptiaciſque libris convicit illum
„ ATTOKPATOPA in Edictis ſuis eſſe vo-
„ citatum.„ Quâ ratione quibuſve machi-
nis hinc ille fraudis auctor erui poſſit, aliis diſpiciendum relinquo. Sanè hîc aliquid Harduïnum vidiſſe neceſſe eſt, quod praeter eum nemo, quantumvis Lynceus, animadvertere poſſit. Unde me nondum illius conjecturae poenitet, quam ſuprà propoſui; falſos nimirum aliquando codices propoſitum iri, in quibus & Archontium, & Celſum, & Julianum, & Soſianum homines fuiſſe doceatur, qui ſub ejuſmodi larvis nominum Latinorum latentes, inter perfidae illius officinae primarios artifices numerati fuerint. *Accipiet* hanc conjecturam *unuſquiſque ut volet*; ego, qui Patrum fraudes novi, nunquam adducar, ut eam contemnendam eſſe exiſtimem. Quo etenim pacto Harduïni dicta confirmarentur, niſi comparatam aliundè vim argu-

argumentorum clam aliquo loco latitantem haberet?

Verùm XIII. ſaeculo Severum illum Archontium nunquam vixiſſe confirmemus. Coli coeperunt id temporis Scholaſtica, quam vocant, Philoſophia & Theologia, praeſentiſſima utraque bonarum litterarum lues, quae à Latini ſermonis elegantia adeò alienae ſunt, ut novam linguam, eamque oppidò barbaram, in orbem terrarum intuliſſe videantur. Jam verò ipſi Scholaſticae Theologiae Principes, Thomas Aquinas, Bonaventura aliique complures, & Patrum ſententiis, Auguſtini maximè, quem praeſertim Loiolitae ſublatum volunt, quaſi vetuſtis uſi ſunt, & Hiſtoricorum tum Eccleſiaſticorum, tum profanorum auctoritates in medium nonnunquam adduxerunt. Adeòne faſcinaverat omne hominum genus, aut aequalis, aut recentiſſimus fraudis architectus, ut commenta recens conficta, pro antiquis ſine ulla controverſia apud omnes haberentur? Niſi fortè fraudis participem fuiſſe unà cum aliis Thomam Aquinatem Harduinus exiſtimet; quod ſi crediderit, cum Inquiſitoribus Dominicanis & Reverendiſſimo Patre, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, eum committendum eſſe arbitror. Praetereà ſaeculo à Chriſto nato duodecimo

permulti floruerunt viri celebres, qui pro captu eorum temporum litteras non infeliciter omnino coluere. Frequens in eorum scriptis est antiquorum Scriptorum mentio. Bernardus ipse Clarevallensis, qui ut Christum unum nôsset, litteras omne genus nihili faciebat, Persii, Horatii, & Poëtarum Latinorum sententias rarò quidem, aliquando tamen, usurpat. Quid de Hildeberto, primùm Cenomanensi, posteà Turonensi Episcopo; de Petro Mauricio, Abbate Cluniacensi; de Goffrido, Cardinale & Abbate Vindocinensi, de Abaelardo compluribusque aliis dicam, quorum nomina reticebo, ne fastidiosâ eorum enumeratione Lectores obruam, quorum omnium auctoritatibus veterum Scriptorum fides & natales haud spurii vindicari possunt? Quot argumenta eam in rem disputanti suppeditabit vel unus Joannes Sarisberiensis; nisi eum unà cum aliis ejusdem aevi commentitiis Scriptoribus Harduïnus adjiciat? Quod ut obtineat, probet necesse est, Severum Archontium non vetustos modò Scriptores, verùm etiam quoscunque alios proximos aetati suae confinxisse. Quod quî de recentissimis illius aetatis Scriptoribus affirmare ausit Harduïnus, ariolari non possum.

Efficitur ergo ex iis, quae suprà dicta sunt, decimi

decimi tertii & duodecimi ſaeculi teſtimoniis Harduini ſyſtema non improbari modò, verùm etiam fanaticis deliriis meritò annumerari debere. Tam enim unicuique licebit, qui delirare volet, Molinae, Suareſii, Fonſecae, Valentiae Loiolitarum opera poſterioribus Jeſuïtis tribuere, quàm licuit Harduïno rejicere monumenta cultiſſimae Antiquitatis in mediam & infimam vetuſtatem, & ad decimi tertii ſaeculi lucubrationes duodecimi monumenta revocare. Quid enim? ſi quis ad Typographos provocaverit, cerebroſa opinio ipſam Typographorum Hiſtoriam & Annalium fidem non faciet nauci. Neque enim pluris eſt eorum auctoritas, quàm XIII. ſaeculi teſtimonia, quae modò allata ſunt, ne quid dicam de Manuſcriptorum exemplarium fide, ad quam brevi provocabimus.

Pudet ſanè & piget in ejuſmodi rebus immorari, quae retuliſſe, refutaſſe eſt. Quanta enim argumentorum copia occurrit cogitanti, in controverſiam adduci tot Scriptorum fidem, quorum adeò admirabilis eſt in pleriſque conſenſus? Affirmari praetereà, tantam Hiſtoricorum, Philoſophorum, Poëtarum, Mathematicorum turbam, tantam ſaeculorum diverſitatem, tam diverſam inclinatâ jam Latinitate & Graecitate ſcribendi ratio-

nem; (1) tot denique libros in Syriacum & Arabicum ſermonem pridem tranſlatos; haec, inquam, omnia ab una aut altera officina intra paucorum annorum ſpatium fuiſſe conficta? Quae ſanè vererer ut unquam quiſquam ſeriò dicta fuiſſe exiſtimaret, niſi ipſa Harduïni ſcripta, quae ubique proſtant, id manifeſtè teſtarentur.

Jam accedo ad Manuſcriptos codices, quorum immenſum prope numerum tot Bibliothecae principes aſſervant. Quis tot libros pro aetate variare, alios emendatos, alios innumeris ſphalmatis deformatos ab hominibus ejuſdem conditionis & ſectae, addo ejuſdem aevi confingi potuiſſe exiſtimabit? In eam ſanè opinionem incidiſſe Harduïnum vitio mentis, non animi malignitate crederem, niſi eum Superioribus ſuis probari ſcirem, Bibliothecae Claromontani Collegii Praefectum fuiſſe, nec unquam ab eo gradu dejectum; poſt editas lucubrationes ſuas nullâ apud ſuos auctoritate aut gratiâ vel leviter imminutum eſſe: quin imò cùm nova nuper (2) Conciliorum omnium editio parare-

(1) *Horum Scriptorum ingentem numerum recenſent Ebed Jeſu in Catalogo Scriptorum Chaldaeorum & Syrorum, edito ab Abrahamo Ecchelenſi; & Herbelotius paſſim in* Biblioth. Orientali. (2) *Jam VII. volumina edita ſunt typis, ſed ea nondum in lucem prodiere.*

raretur, illud opus Harduïni curis committendum Societatis Praefectos cenſuiſſe. Videant ergo eruditi, ne quid detrimenti Religio Chriſtiana capiat, ne res litteraria peſſum eat, ne in venerandae Antiquitatis locum ſuppoſititiarum fabularum farrago ſubrogetur.

Fieri non potuit, quin rationes Loiolitarum turbaret hocce ductum à Manuſcriptis codicibus contra impias Harduïni nugas argumentum; quod cùm ultrò in animos hominum incurrat, ipſis ſaepius objectum eſt. Ergo ei obviam eundum eſſe judicarunt, & revocandam ſtatuerunt in dubium ſcriptorum exemplarium fidem, quae nuſquam aliàs meliùs confirmata eſt quàm in Mabillonii arte Diplomatica, ubi ea omnia allata ſunt, quae ad iſtam partem Antiquitatis rimandam & penitùs cognoſcendam pertinere videbantur. Nôrunt omnes, qui veteribus codicibus tractandis aſſueverunt, quàm validis & inconcuſſis fundamentis hae regulae innitantur. At quotus quiſque eſt inter eruditos, qui tot codices perluſtrarit, ut de eorum vetuſtate ex aſpectu judicet? Eâ quidem re nihil aſſueto facilius eſt; verùm admodum pauci ſunt, quibus ſtudiorum ſuorum ratio id dederit, ut ei cognitioni aſſueſcerent. Id perſpectum habuerunt Jeſuitae, & eâ plerorumque do-

ctorum ignorantiâ ſe feliciter abuſuros exiſtimarunt, ſi quaecunque de Manuſcriptorum codicum auctoritate tradi ſolent, labefactare conarentur. Fieri enim non poſſe judicarunt, quin ex tot hominibus eruditis eos ſaltem attraherent in ſuas partes, qui ita comparati forent, ut quid de re ipſa judicandum eſſet, ignorarent. Hinc quaſi ſuccedaneum Harduïno Germonium nuper ſubmiſerunt, qui Manuſcriptorum codicum fidem convelleret ad ipſam uſque SEVERI ARCHONTII Synagogam, (1) id eſt, ad duodecimum & decimum tertium uſque ſaeculum; quò felicius poſteà quicquid ad Harduïni impietatem tuendam pertinebit, in orbem litteratum immittant. Novi quidem Germonium, etſi res per ſe manifeſta eſt, negare ſe in iis, quae de Diplomatibus dixit, Manuſcriptorum fidem convellere ſtatuiſſe; verùm id nemini perſuadebitur eorum, qui non ſunt neſcii Diplo-

(1) *Si le P. Mabillon avoit ſeulement entrepris de nous apprendre à juger des Chartres faites depuis le* Douziéme *ou le* Treiziéme *ſiecle, ſon nouvel art ſeroit à l'épreuve de la plus ſevére critique. . . . . Mais il a voulu remonter plus haut; & les regles qu'il nous donne, regardent principalement les Diplomes faits ſous les Rois Merovingiens & Carlovingiens, & ſous les premiers de la troiſiéme Race . . . . . Le P. Germon pretend que toutes* ces *piéces ſont fauſſes ou du moins ſuſpectes.* Les Jeſuïtes de Trevoux, Memoires, Tom. IX. pag. 97. éd. de Hollande.

Diplomatum vetuſtatem eâdem fide niti, quâ ſtat omnis Manuſcriptorum codicum auctoritas. Praetereà quis Loiolitae neganti crediderit, cui ne jurato quidem fides habenda eſt; jam pridem emiſſis in lucem argumentis, unde manifeſtò pateat, nullam eſſe in Societate juris-jurandi Religionem?

Haec fortè ſufficerent, & ad alia properarem, niſi ex utraque jam memorata Harduïni lucubratione ſpicilegium quoddam in medium afferre conſtituiſſem; ex quo melius patebit, quàm abnormes ſententias alat Harduïnus, quantâque vi in perniciem graſſetur Religionis & litterarum. A *Proluſione* incipiam, cujus mira eſt concordia cum poſterius edita Chronologia Veteris Teſtamenti.

In *Proluſione de Nummis Herodiadum* id in animo potiſſimùm habuit Harduïnus, ut Flavii Joſephi, celeberrimi Antiquitatum Judaïcarum Auctoris, fidem elevaret; quem cùm ſuprà laudatus eruditiſſimus Cellarius, nuper ingenti damno rei litterariae vivis ereptus, egregiè defenderit, nihil opus eſt, ut eum ab Harduïni captiunculis magnopere vindicare laborem. Neque id etiam patiuntur deſtinati lucubrationi mihi ſuſceptae fines,

(1) *Praeter nonam Epiſtolam Montaltii ad Provincialem videndus eſt omnino liber Gallicus, cui titulus:* Solution de divers Problémes très-importans pour la Paix de l'Egliſe, *pag.* 11. 12. *& ſeq.*

quae in immenſum excurreret, ſi omnes Harduïni errores in medium allatos ad vivum reſecare conarer; quod quàm moroſum ſimul & operoſum foret, ii, credo, intelligunt, qui quantò difficilius ſit, quidvis refutare quàm affirmare, non ignorant. Ergo quod ſtatim ab initio pronunciat, (1) *Herodiadum aetatis delineationem* à ſe afferendam *tam Sacris Codicibus, nummis antiquis, lapidibuſque conſentaneam, quàm à Joſepho, aliiſque Annalibus diſparem ac diſſentientem* fore, id totum à me praetermittetur. Non tamen illud mihi indictum abibit, quod de Capricorno in Lucii Caeſaris nummo Caeſareae cuſo ibi nugatur Harduïnus: „(2) Caper ille, in„quit, in piſcem deſinens, abundantiam an„nonae terrâ marique indicat . . . . . „Neque aliud in nummis pariter Auguſti „Capricornus ſignificat: tametſi Antiquarii „de natali Auguſti accipiunt, de quo diſce„ptant inter ſe fruſtra, à Suetonio decepti, „ut aliàs dicemus.„ In eo non aliter deceptos fuiſſe cenſet Antiquarios Harduïnus, quàm quòd de Suetonii fide minimè dubii, (3) Auguſtum *notâ ſideris Capricorni, quo natus erat, nummum argenteum percuſſiſſe* crediderint. Quae Harduïno ſuſpecta videri quis mira-

(1) *Proluſio, pag.* 4. (2) *Ibid. pag.* 8. *&* 9. (3) *Suet. in Auguſto, cap.* 94.

mirabitur ? cùm Suetonio vel uno ſtante, totum ſuſpectae aut ſuppoſititiae Antiquitatis ſyſtema peſſum eat. Eſt praetereà in eadem Auguſti vita, quam Suetonius ſcripſit, locus inſignis, qui Harduïni commentis adjuvandis aptus aliquando fortaſſe videbitur, quemque ſibi ideò procul omni dubio, praereptum eſſe dolebit. „ Thurinum, inquit „ Suetonius, cognominatum [Auguſtum] ſatis „ certâ probatione tradiderim, nactus pue„ rilem ejus imaguncúlam aeream, veterem, „ ferreis ac penè jam exoleſcentibus litteris, „ hoc nomine inſcriptam, quae dono à me „ Principi data, inter cubiculares colitur. „ Hae ferreae ac penè exoleſcentes litterae, haec imaguncula aerea vetus, hic Princeps, cui data eſt imago, quàm bene olim Harduïno, aut ejus aſſeclis, & SEVERUM ARCHONTIUM, & ejus officinas repraeſentare videbuntur. Verùm non ſemel aliàs Suetonii fidem laceſſitam videbimus, quem fruſtra Plinii Junioris, Hieronymi, Sidonii Apollinaris auctoritate tueremur, cùm & hi Scriptores, Harduïno jubente, ad officinas Archontianas ſint ablegandi.

Eſſet tamen aliquid, quod hîc reponere poſſem; verùm haud opus eſſe cenſeo, ut actum agam, & Horoſcopium Auguſti à nugacibus Harduïni conjecturis vindicem.

Rem accuratè confecit Illuſtriſſimus Spanheimius (1), Diſſertatione v. *de Praeſtantia & Uſu Numiſmatum antiquorum*, noviſſimae editionis Londinenſis; ubi nihil eorum praetermiſit, quae ad aſſerendam Suetonio eam autoritatem, quâ ſemper valuit apud eruditos, pertinere poſſint. Praeterquam quod enim Julii Firmici, Germanici Caeſaris, Manilii & Gellii teſtimoniis Auguſti Horoſcopium defendit; permultis iiſque luculentis rationibus confirmat, Capricorni imagine, ſi qua felicitas, ſi qua abundantia, ſi quod fauſtum fortunati imperii omen in aliorum Caeſarum nummis ſignificatur, id totum ad eam felicitatem eſſe referendum, quam illud ſidus in Auguſti nativitate portendere viſum eſt (2).

Verùm ad alia pergamus. Cùm nemini veterum Scriptorum parcere ſtatuerit Harduïnus, (3) Philonem Alexandrinum contemtim Jedidaeum bis appellat; frigidò videlicet ſcommate ſperat ſe vetuſtiſſimi & nobiliſſimi Scriptoris auctoritatem elevaturum. Nec mihi latet, Judaeum recentiorem, Azariam

(1) *Pag.* 237. *& ſeqq.* (2) *Eam in rem non abs re fuerit adire Michaëlem Fajum in notis ad hos verſus Manilii, lib.* 2. *pag.* 179.

Quid enim mirabitur ille
Majus, in Auguſti felix cùm fulſerit ortum?

Neque negligendae ſunt Illuſtriſſimi Petri Danielis Huetii annotationes in hunc locum. (3) *Proluſ. pag.* 18. 51.

riam nomine, (1) fictitium Breviarium Temporum ab Annio Viterbienſi ſub Philonis nomine confictum Ebraicè reddidiſſe, & Auctorem operis Jedidaeum Ebraico ſermone appellaſſe. Qui autem inde Philonis ipſius auctoritas imminuatur, non ſatis intelligo, cùm nemo ſit hodie inter eruditos, qui hujuſcemodi nugas à veris antiquorum Scriptorum monumentis ſecernere non didicerit. At fortè delectatus eſt ſimilibus Ebraiſmis, emeritus Ebraicae linguae Profeſſor, quem infra Euſebium Caeſarienſem mutato eâdem arte nomine deſignaſſe videbimus.

Judaeorum (2) Europaeorum in enumeratione Herodiadum calculum ita proſcribit, ut eos tamen extra culpam omnem ponat, & fontem erroris in Archontianos rejiciat, quos hîc primùm innuit, & *vafrum admodum genus hominum* nominat, clarius utique ex ſubſequentibus intelligendus. Tragoediae de Mariamne apud Joſephum, *concinnitatis atque artis* laudem relinquit, ne videlicet fratribus ſuis hoc argumentum eripiat, in eorum theatris non rarò frequentatum, cùm effoeminati docentibus Jeſuïtis Ephebi, contra (3) divinas San-

(1) *Vide Huetii Demonſt. Evangelic. cap.* XIII. § 17. *Prop.* IV. *pag.* 245. *ed. Amſtel. in* 8. (2) *Proluſio, pag.* 22. & 23. (3) *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte foemineâ; abominabilis enim apud Deum*

Sanctiones, muliebrem veſtem induti in ſcenam prodeunt, nutibus, geſtu, fractâ voce Mariamnem plaudentibus & impellentibus Loiolitis imitantes. Affirmat tamen, nihil veritatis totâ eâ narratione contineri, ne fortè quid veri in Flavii Joſephi Hiſtoriis ineſſe credamus. Ergo *vanum Scriptorem* vocat, & quicquid in ejus commendationem afferri poteſt, id pro ea auctoritate, quâ pollet inter eruditos, rejiciendum eſſe pronunciat.

Quae

Deum eſt, qui facit haec. Deuteron. XXII: 5. *Quem locum per ſe clariſſimum variè Commentatores interpretantur, ne ſcilicet rem leviculam Deum hoc loco prohibuiſſe putemus. Verùm qui attenderit ad ea, quae Divus Paulus diſputat in corruptos Ethnicorum mores, Ep. ad Rom. cap. 1. illicò perſpiciet, hic anſam omnem praeſcindi ſceleri exſecrando, quod primò inter Phoenices ortum, & ab eorum colonis Thebas illatum (ὁ Λαΐου . . . τὸν τὸ Πέλοτος υἱὸν Χρύσιππον ἥρπασεν . . . ᾧ πρῶτος ἐν ἀνθρώποις τὴν ἀῤῥηνοφθορίαν ὑπέδειξε. Auctor Argumenti τῶν ἐπτὰ ἐπὶ Θήβαις Æſchyli) poſtremum in Graeciam, & inde in totum orbem terrarum latè diffuſum eſt. Quanto periculo caſtitatis, eximiâ pulchritudine adoleſcentes muliebrem in modum ornati in ſcenam prodeant, maximè*

Cùm carmina lumbum

Intrant, & tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu, *fatebuntur, fortè taciti multi Loiolitarum, ubi haec legent. Nec deſunt exempla, quibus hoc nonnullis eorum fraudi fuiſſe oſtendi poſſit. Verùm ea referre non eſt pudoris mei. Qui plura deſiderabit, adeat, ſi volet, Claudii Bartholomaei Meriſoti* Veritatis Lacrymas, *pag. 583. 584. & 585. edit. Lugd. Bat. in 8. anno 1674.*

Quae proximè conſequuntur de Herode, Caeſaris creditore, quàm vana ſunt, quàm futilia! Non ſatis conſtante corrupti, aut ſaltem dubii loci lectione inductus, fabulam comminiſcitur, ad ineptias ſyſtematis ſui perquam accommodatam, ſed nullo fundamento nixam, nulliſque rationum momentis confirmandam. (1) Scripſit ad Atticum Cicero: *Sed heus tu! Jamne à Caeſare per Herodem talenta Attica quinquaginta extorſiſtis?* Sic enim non paucae editiones legunt: quae lectio an omnium probabiliſſima ſit, eruditis dijudicandum relinquo. Quicquid ſit; hinc longa Harduïno conjecturarum ſeries, & *maxima de nihilo naſcitur Hiſtoria.* (2) *Similes*, ut conjicit, *pecuniae ſummas Caeſari Herodes foenori dederat.* Itaque foenoris & pecuniae merces, Judaeae & Samariae Principatus ab Auguſto haerede & Antonio amico Herodi aſſignatus. *Haec*, namque *probabilia* ſunt, *neglectis Joſephi fabulis*, & credenda de Herode non Idumaeo, ut Joſepho viſum eſt; ſed Athenienſi, ut cenſet Harduïnus. Sed quàm infirmo tibicine nitantur haec Harduïni commenta, jam demonſtravit (3) vir pietate, eruditione & candore illuſtris, in *Hiſtoria Religionis* Jud-

(1) *Lib.* VI *Ep* 1. *Legunt quaedam exemplaria*: Jamne vos, *aut* Januarios; *& pro* Herodes, Orodem.

(2) *Proluſio, pag* 25 (3) *Baſnage, lib.* 1. *cap.* 2. *&* 3. *vid. praeſertim pag.* 37.

Judaicae, qui hîc de aedificiis Marathone aedificandis agi, poſt Paulum Manutium, luculenter oſtendit: neque de Herode Judaeorum hîc agi; ſed de cive Attico ejuſdem nominis, à quo fortè originem habuit celeberrimus & ditiſſimus Sophiſta Herodes, Conſulatu, & amicitiâ Marci Aurelii clarus; ſaepius memoratus à Luciano, Gellio, & Philoſtrato; nec incognitus iis, qui elegantiſſimas Salmaſii obſervationes legerunt in Conſecrationem Templi in agro Herodis, & in Dedicationem ſtatuae Regillae Herodis. (1) Effoſſa eſt praetereà ante paucos annos Romae in ſeptis Monaſterii Coeleſtinorum, haec Inſcriptio, edita ab optimo & eruditiſſimo viro, D. Bernardo de Montfaucon, in qua Herodes & ejus uxor Regilla memorantur:

ΑΝΝΙΑ ΡΗΓΙΛΛΑ
ΗΡΩΔΟΥ ΓΥΝΗ ΤΟ ΦΩΣ
ΤΗΣ ΟΙΚΙΑΣ ΤΙΝΟΣ ΤΑΥ-
ΤΑ ΤΑ ΧΩΡΙΑ ΓΕΓΟΝΑΝ.

ANNIA REGILLA
HERODIS VXOR
LVMEN DOMVS
CVIVS HAEC
PRAEDIA
FVERVNT.

Verùm

(1) *Pag.* 125. *Diarii Italici.*

Verùm ad Harduïnum, à quo tantiſper receſſimus, redeundum eſt. Nemo, opinor, id à me requiſiverit, ut omnes ad unam ejus ineptias in medium adducam, iiſque ſingulis refutandis immorer. Quis, quaeſo, tanto labori ſufficeret? Quis Lector, vel patientiſſimus, non tandem faſtidio tot ineptiarum obrueretur? Eum prorſus laborem ſubire, haud ita neceſſarium puto: eorum tantummodò commentorum falſitatem demonſtrare conabor, quibus disjectis totum ſyſtema corruat neceſſe eſt. Si qua praetereà adjunxero, ea audaciam & temeritatem Harduïni prodent, & illud periculum manifeſtabunt, quod rei litterariae imminere non ſemel ſuprà confirmavi. Permulta ideò intacta relinquam, quae oſtenſa commenti principis falſitate, ſponte ſuâ labaſcunt.

Praeteribimus ergo (1) Zenodorum Tetrarcham, quem ideò tantùm Joſepho & Dioni innotuiſſe cenſet, quòd nummum ejus nomine ſignatum viderint, levi, ne dicam ineptiſſimo, argumento. Ζηνόδωρός τις, inquit, utrique dicitur, *quoniam erat ex aequo utrique ignotus.* Quae verba projectiſſimae audaciae ſunt, cùm id unum ſignificare videantur Joſephus & Dio, in obſcuritate quadam vixiſſe Zenodorum, quâ factum ſit, ut eâ

(1) *Prolusio*, pag. 29.

eâ ab eis appellatione indicaretur. Hinc interim habemus, Dionem Caſſium unà cum Flavio Joſepho ex Archontianis officinis prodiiſſe, idemque pronunciandum eſſe de (1) Suida, quem *falſum* infrà *teſtem* appellat, cum ſumma contumelia Noriſii Cardinalis, quem in plagii ſuſpicionem adducere laborat, maximus ipſe omnium plagiarius, ut paulò pòſt manifeſtò demonſtrabimus.

Templum Hieroſolymitanum ab Herode aedificatum negat, ne non ubique Flavii Joſephi Hiſtoriae mendaces exiſtimentur: „ (2) Nec fortaſſis, inquit, temerè aliquis „ affirmavit, nihilò magis Herodem Hieroſolymitano Templo operam impendiſſe, „ quàm Capitolino; confictamque illam eſſe „ publicae magnificentiae praedicationem in „ exſtructione Sacrarum etiam Aedium, ne „ non omni ex parte Herodis Magni titulum „ impleſſe videretur. „ Quae verba Sacrarum Litterarum auctoritati contraria, non opus eſt ut refellere aggrediar. Rem occupavit praeſtantiſſimus Cellarius, quem hîc exſcribere non gravabor: „ (3) Aliâ viâ vir clariſſimus Joſephum adgreditur: Templi Hieroſolymitani novam ſtructuram, quam ille „ lib. XV. cap. XIV. Herodi tribuat, *conſtam*

„ *ſtam*

(1) *Proluſ. pag.* 31. (2) *Ibid pag.* 32. (3) *Cellarius in Flaviana Herodum Hiſtoria, §. XXVI.*

„ *etiam in magnificentiae praedicationem* esse ob-
„ jiciens. Non autem confictam esse illam
„ Templi instaurationem, etiam ex divino
„ Scriptore Joanne, cap. 11. comm. 20. non
„ obscurè probatur. Illi enim XLVI. anni
„ *οἰκοδομήσεως* ad Zorobabelis Templum,
„ quod quadriennio perfectum fuit, [Esdr.
„ VI: 15.] referri non possunt. „

In (1) anno item natali Caesareae Palaestinae, quin & in ejus situ mentitum esse, Josephum affirmat; sed in iis, quae ad situm attinent, jam à Cellario egregiè confutatus est. Porro quòd ibi admiratur, Josephum Olympiades computasse; id prope puerile est: „ (2) Qui porro, inquit, homini Judaeo ve-
„ nit in mentem, Olympiadas computare, aut
„ has omnino commemorare in rebus Palae-
„ stinae ac Judaeae describendis? Id enim
„ perinde esse videtur, ac si quis natalem ur-
„ bis alicujus in Gallia Hispaniave hoc aevo
„ conditae annis Hegirae definiat. „ Profectò nihil Josepho metuendum est, dum talibus argumentis oppugnabitur. Quid enim? An homini Judaeo, qui Graecos inter & Romanos versabatur, & peregrinâ linguâ scribebat Annales gentis suae, id agere in numerandis annis non licuit, quod quotidie ii Christianorum agunt, qui in Asia & Europa sub

(1) *Prolusio, pag.* 33. (2) *Ibidem.*

ſub jugo Turcarum ſervitutem ſerviunt? Hegirâ namque in Annalibus ſuis utuntur. Quam in rem, utpote evidentiſſimam, veteribus exemplis aſſerendis ſuperſedebo, neque memorabo, Eutychium Alexandrinum, Elmacinum, Abulpharagium ex Archontianis enim officinis profectos eſſe regeret Harduïnus. Unum modò è recentioribus proferam Anglum, virum celeberrimnm Ricaltium, qui in Hiſtoria quatuor poſtremorum Ottomanorum Anglicè ſcripta, annos Hegirae cum annis Aerae Chriſtianae perpetuò conjungit.

Jam poenitet incoepti, & Harduinum errantem perſequi piget. Res totâ antiquitate conteſtatas negat, & multitudine errorum Lectorem, vel patientiſſimum, obruere voluiſſe videtur. Quae res me invitum cogit, ut multa praeteream, quî finem aliquando facere poſſim. Sphalmatibus ergo leviоribus praetermiſſis, ea una in medium afferam, quae & audaciam hominis prodant, & periculum, quod rei litterariae impendebit, ſi plures aliquando, quod metuendum eſt, in ſuas partes Harduïnus attraxerit.

Ad annum tertium à Chriſto nato, de Teſtamento & ſucceſſore Herodis haec habet: „ (1) Cùm ab Herode in Teſtamento ſuo „ lega-

(1) *Proluſio, pag.* 37.

„ legatum quiddam fuiſſe Juliae Auguſti con-
„ jugi, narrat Joſephus libro XVII. cap. 10.
„ annon ille ſe prodit recentioris aevi Scripto-
„ rem? Juliae enim nunquam ei nomen fuit,
„ ſed Liviae tantùm, ut nummi docent, de
„ quibus erit in Chronologia Auguſti diſſe-
„ rendi locus. A ceteris certè ſodalibus ſuis
„ diſcrepat, qui ante Auguſti obitum negant
„ Juliae nomen ei fuiſſe. „ Quos hîc Flavii Joſephi ſodales vocat Harduinus, ii ſunt Archontiani, perverſum & prope fanaticum Loiolitici cerebri commentum, quod omnibus locis obtrudit. Quàm vanè autem haec ab eo dicantur, perpaucis docebimus. Primò quidem ii Antiquitatis inſtauratores nummis & lapidibus, Harduïno teſte, uſi ſunt. Unde ergo Julia iis vocata eſt, cui *Juliae nunquam nomen fuit?* Hoc ſolvat *inanis* ille *conjector*, qui domi Sphingem habet. At neque nummi deſunt, poſt Liviae mortem fortè cuſi, (1) verùm tamen DIVAE IVLIAE AVGVSTI FIL. nomine inſignes. Permultos hujuſmodi ſuppeditabunt Goltzii Tabulae in Auguſto, è quorum ingenti copia tres modò Harduïno diſpiciendos offero. Tabula 81. DIVA IVLIA DIVI AVG. Tab. 82. IVLIA AVGVSTA

(1) *Vide notas ad Tacitum Gronovii, Tom. 1. pag.* 536.

STA GENETRIX ORBIS. Tab. 20. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Haud etiam à ſodalibus, antiquis videlicet Scriptoribus, diſcrepat Flavius Joſephus, cùm & Julia Auguſta Tacito initio v. libri Annalium nuncupetur: *Rubellio & Fuſio Coſs. quorum utrique Geminus cognomen erat*, JULIA AUGUSTA *mortem obiit.* Ipſi Ovidio vivens Livia eodem nomine deſignata eſt in Faſtis:

(1) *Sic Auguſta novum Julia nomen erit.*

At enim eſto verum, *ante obitum Auguſti Juliae nomen ei non fuiſſe*; an ideò erraſſe cenſebitur Joſephus, qui diu poſt imperium Auguſti ſcribens, eo nomine utebatur in deſignanda Livia, quod paſſim à multis annis obtinuerat, à morte videlicet Auguſti, quo tempore, teſte Tacito, Annal. I. 8. *Livia in familiam Juliam cognomenque Auguſtae adſumebatur*; quod ipſum Dionis Caſſii libro LVI. ſub finem teſtimonio comprobatur? Et ſanè mirum eſt, hîc ſecum pugnare Harduïnum, qui in Plinii librum XIV. §. VI. ad haec verba: *Julia Auguſta* LXXXII. *annos vitae Pucino vino retulit acceptos*, haec annotavit: *Haec Julia, quae & Livia, Auguſti conjux.*

Quae proximè ſequentibus (2) paginis nu-

(1) *Ovidius lib. I. Faſtorum verſ. 536.*
(2) *Proluſione, pag. 39. 40.*

nugatur de Romanis Imperatoribus, ſaepiſſimè βασιλεῦσιν dictis apud Graecos Scriptores, id totum à Cellario in jam laudata Diſſertatione ſubverſum eſt, variis Antiquorum auctoritatibus, quibus è Luciano, Ariſtide, Dione Chryſoſtomo, aliiſque compluribus non paucas adjungere poſſem, niſi me ſtatim auditurum nôſſem, eos Scriptores ad ſcholas Archontianas eſſe ablegandos. Viderint tamen eruditi Pariſienſes, quo periculo Conciliorum Tomi ei homini in publicam lucem producendi committantur, in quibus Romani Imperatores perpetuâ βασιλέων appellatione nuncupantur; qui mos uſque ad Conſtantinopolitani Imperii exitium perduravit. Etſi in re manifeſta auctoritates congerere haud ita neceſſarium videatur; eò tamen nos impulit Harduïni pervicacia, ut ea, quae modò dicta ſunt, uno aut altero exemplo illuſtraremus. In ſecundo Tomo Conciliorum editionis Regiae, Conſtantini Oratio ad Patres Nicaenos hoc titulo inſcribitur: ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ πρὸς τὴν σύνοδον περὶ εἰρήνης. Tom. IV. in Codice Canonum Eccleſiae Africanae, pag. 580. ὑπὲ τῦ ἐνδοξοτάτυ βασιλέως Θεοδοσίυ. Tom. V. in Synodo Epheſina centies ea vox occurrit, ut in hoc loco, pag. 441. Γαβριὴλ ὁ ἐπίσκοπος Ἱεροσολύμων εἶπεν· Ἀναγινωσκέσθω τὸ θεῖον

φιλὲς τῶν εὐσεβεστάτων καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν ΒΑΣΙΛΕΩΝ γράμμα: „ Juvenalis, Hie„ rosolymorum Episcopus, dixit: Legatur pia „ piissimorum Christianissimorumque nostro„ rum Imperatorum Sacra. „ Eat nunc Harduïnus, & Romanos Imperatores βασιλέας dictos fuisse neget, ipsaque Concilia, quorum editioni praeest, ab Archontianis depravata fuisse contendat.

Iterum (1) Philonem suspectum facere contendit, & cum Flavio Josepho in narratione legationis ad Caium pugnare asseverat, levibus aut nullis potius argumentis, quae nemo aequus rerum aestimator exigat à nobis ut refutemus. Liber autem Philonis de Temporibus, quem iterum sugillat, reverà suppositititius, & Annii Viterbiensis commentum, ut putant eruditi prope omnes; (2) *partus esse creditur*, inquit Harduïnus, *ut quidem nuper didici, improbae factionis.* Quid si quis hîc Harduïno redderet voces suas, *Chronologiam*que & *Prolusionem* ab eo editas improbae factionis esse partus affirmaret? Hoc sanè ipsi improbum videretur. Ego verò id affirmo, nec me, spero, affirmationis meae unquam poenitebit. Hoc obiter addam, quando dicendi occasio oblata est, tot consilia officinis Archon-

(1) *Prolusio*, pag. 49. 50.
(2) Pag. 52.

Archontianorum ab Harduïno tribui, tot lucubrationes partim Theologicas, partim Hiſtoricas & Philoſophicas ipſis aſſingi, ut etiamſi quamcunque probabilitatem aliundè afferri poſſe fingamus, nunquam futurum credam, ut quis in animum inducat, tot homines coire potuiſſe, qui tam unanimi conſenſu univerſae Antiquitatis ſyntagma inſtaurare aggreſſi ſint; cui rei non dico faciundae, ſed cogitandae & conſtituendae, non unum aut alterum, ſed plura ſaecula, qui rem ſeriò attenderint, vix ſatis ampla futura fuiſſe, ultrò fatebuntur.

Porro feſtivum eſt, quòd (1) Caium Caeſarem, cognomine Caligulam, Αὐτοκράτορα, id eſt, Imperatorem fuiſſe negat; *cùm*, ait Harduïnus, *Caeſar & Princeps tantùm fuerit*; quo dicto in duplicem temeritatis notam incurrit, ubi videlicet Scriptorum veterum auctoritatem in re tot teſtimoniis comprobata aſpernatur, & ipſe ſui immemor, id refellit, quod ſuperiore paginâ, Graecâ nummi Herodis Tetrarchae Inſcriptione confirmaverat. En ipſam nummi Inſcriptionem, quam proferre juvat, ut manifeſtius appareant Harduïni levitas & inconſtantia:

(1) *Pag.* 50.

ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ Ι. Μ Γ.
ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ.

HERODES TETRARCHA ANNO QUADRAGESIMO TERTIO.
CAIO CAESARI GERMANICO AUGUSTO (1).

At fortè regeret Harduïnus, Auguſti quidem & Caeſaris titulis decoratum fuiſſe Caligulam, neque tamen unquam Αὐτοκράτορα, aut Imperatoris nomine in nummis inſigniri. Verùm ut omnes Caligulae nummos, quotquot ſuperſunt, Harduïno viſos eſſe fingamus; an ideò quiſquam animum inducere poterit, ut credat eâ aetate fuiſſe Caeſares Auguſtos, qui non eſſent Romanorum Imperatores? Contemnat quantum volet Harduïnus Suetonium, Tacitum, utrumque Senecam, Dionem Caſſium, Plutarchum, & optimos quoſque rerum Romanarum Scriptores; quae vult, non efficiet: contemnent viciſſim eruditi inficetas ſuſpiciones hominis, Hiſtoriarum omnium perniciem incredibili animi malignitate molientis.

Nec (2) magis parcit Eccleſiae Patribus, Juſti-

(1) *Hunc nummum exponit Noriſius Cardinalis in fine Epoch. Syro-Maced. pag. 62. ed. Liſſ.*

(2) *Prolusio, pag. 52. Hic Dialogum Juſtini contra Tryphonem falſi accuſat.*

Juſtino & Epiphanio, quos unà cum pluribus aliis nobiliſſimis Antiquitatis Chriſtianae monumentis in ordinem fictitiorum Auctorum cogit. Eos ego hîc loci, ut & ceteros complures aſſerere haud laboraverim; neque enim ea mihi opera ſuſcepta eſt, id unum in animo habenti, ut Harduïni errorum fontes indagem, & praecipuas allucinationes diruam. Quare in iis, quae proximè conſequuntur, & ad nomen, genus & ſtirpem Herodum attinent, ſtudioſos veri Lectores ad doctiſſimos viros, Cellarium & Baſnagium, ſuprà memoratos, ablegabo. In eo mihi ſaltem liceat temeritatem dicam, an impudentiam, Harduïni mirari, qui Joſephum linguam Graecam ignoraſſe aſſeverat, quam accuſationem ipſi Thucydidi, ut infrà videbimus, intentavit. (1) Graecè imperitum fuiſſe Joſephum, propterea vult, quòd Agrippam Μέγαν eâ ſignificatione ab eo appellatum putet, quâ Galli *majorem natu* è duobus ſignificant: „ Quid ſi, inquit, ma„ gnum Agrippam dixit ille, ut ex eo grege „ alii, quo ſenſu nos Galli dicimus interdum, „ *le grand Agrippa*, pro majore natu è duo„ bus? Certè eo ſignificatu Μέγαν in nummo „ ſcribi, nemo ſobrius dixerit. Et eſt inepta „ iſta quidem locutio, nec fermè hominis,

 „ qui

(1) *Proluſ. pag.* 64.

„ qui Graecè niſi ſub Gallico coelo didice-
„ rit, aſpergatque idcircò ſermoni Graeco
„ ſubinde Gallicae nonnihil Dialecti. „ Quid verò ſi oſtenderimus Harduïnum ipſum neque Graecè, neque Latinè ſatis eſſe peritum? Qua in re ad neminem eorum Auctorum provocabimus, qui Harduïno falsò ſuſpecti ſunt. Ciceronem, & Homerum adhuc omni falſitatis ſuſpicione inmunes judicavit. En tamen ex eorum ſcriptis deſumptae auctoritates, quibus contra Harduïni vanas ſuſpiciones, Flavio Joſepho Graecae linguae peritia vindicetur. Homerum primum audiamus, qui libro ſecundo Odyſſeae Telemachum ita loquentem inducit:

Ἐγὼ δ' ἐπὶ νήπιος ἦα
Νῦν δ' ὅτε μέγας εἰμί.

Ita Cicèro filius in Epiſtolis ad Atticum lib. 2. Ep. IX. Κικέρων ὁ μικρὸς αἰσπάζεται Τίτον Ἀττικόν. Quos nodos Harduïnianae ſagacitati ſolvendos relinquo.

Saevit autem Harduïnus non in unos veteris aevi Scriptores, profanos juxta atque Eccleſiaſticos: Inſcriptionum ipſarum & numiſmatum ea ſola admittit, quae cum cerebri ſui inventis ſeſe compoſiturum ſperat. Sic Cenotaphia Piſana, quae Noriſius Cardinalis eruditiſſimo commentario illuſtravit, his verbis exagitat, in quibus modeſtiam jure deſi-

deſideres. „ (1) Cujus generis [Inſcriptiones „ ſpurias ac recentes] eſſe quàm plurimas, „ qui neſciunt, quàm inani ſe labore vexant, „ cùm in iiſdem illuſtrandis multum tempo- „ ris, operae, chartaeque conſumunt? Nam „ quod eſt, exempli gratiâ, operae praetium „ in Cenotaphia Piſana grande volumen elu- „ cubrare, ſi ſunt ea Cenotaphia ab aliquo „ ſat ſtrenuo artifice conficta; ut certis ar- „ gumentis in Chronologia Auguſti ex num- „ mis, Deo donante, docebimus? In hanc „ primam partem eruditionis, quam χριτικὴν „ Graeci vocant, incumbere par eſt eos, qui „ prodeſſe ſibi ſua ſtudia ac ceteris velint. „ Incredibile enim ac ſimile portenti eſt, „ quantam falſorum ſcriptorum ſegetem, de „ rebus tum ſacris, tum profanis, exſecran- „ da & deteſtabilis una quaedam, ut ceteras „ ſileam, ante annos ferè quingentos, effu- „ derit; quanta ſit è diverſo, ut auri ac gem- „ marum, ita genuinorum operum paucitas. „ Aurum igitur à ſtipula plumbove ſecerne- „ re, hoc opus, hic labor eſt. „ Duo po- tiſſimùm hoc loco conſideranda veniunt, con- temta primùm monumentorum Piſanorum auctoritas, quae ut nullâ allatâ ratione rejiciuntur, tamdiu procul dubio ſtabunt, quam- diu premet Harduïnus *Chronologiam Auguſti*

(1) *Proluſ. pag.* 67. 68.

ex nummis, cujus mira esse debet apud eruditos expectatio, cùm reconditissima quaeque Loiolitici systematis arcana continere videatur. Deinde indigitatam iterum eam officinam habemus, quae tot pravi commatis Scriptores, *ante annos ferè quingentos effudit.* Quo ex loco manifestò apparet, saepius memoratum *inanem* illum *conjectorem*, aut ipsum Harduïnum esse, aut in Harduïna fidum omnino discipulum, & sollicitum nugarum suarum praeconem inveniſſe.

Admirabuntur fortè posteri, novitates ita periculosas eo aevo, quod Francorum Scriptores Augusti aetate inferius esse nolunt, in apertam lucem exiviſſe. Fingamus imminutam post aliquot annos Jesuïtarum auctoritatem: haec certè incredibilia videbuntur. Quo tempore acriter inter se Pontificii digladiantur de multis exigui momenti rebus, & in eos praetereà, qui Divi Pauli & Augustini doctrinae addictos se profitentur, proscriptiones, exilia, carceres ductu & nutu Loiolitarum intentantur; ipsa Jesuïtarum Societas in arcem totius Antiquitatis invadit, ut sublatis omnibus omnino monumentis, omnia ad libitum componat, instauret, evertat. Interim silent Ecclesiarum Praesules, & quasi mancipia foediſſimae Societatis omnem lapidem movent, ne quis aliquando nefariis eorum

rum conatibus impedimento esse possit. Quicunque Dei & veritatis studiosus haec apud se perpenderit, an aliud requiret argumentum, quo animum ad credendum adducat, confluxisse in Ecclesias Pontificiorum omne genus sordes, & pridem à Deo divulsos esse illos coetus, qui gratiâ Dei, & coelestis sapientiae studio tam manifestò destituuntur?

Sed eò redeundum est, unde digressi sumus. Etsi satis immodestè se gerit Harduïnus, tam in *Prolusione*, quàm in *Chronologia*, aliquantulò tamen cautius in priore sententias suas occultare studet. Videlicet viam parat ad ea aliquando in orbem protrudenda, quae Superioribus Societatis nondum matura visa sunt, ne facinus magnum & memorabile in ipso ortu ita pessum detur, ut posteà in lucem prorumpere non possit. Hîc nihilò minus tam multa refellenda occurrunt, ut selecta quaedam tantummodò proferre cogar, ne multitudine errorum & ineptiarum, non ipse modò, verùm & quicunque haec nostra legent, enecentur. Cyrilli Alexandrini Opera commentitia putat; quod sanè mirarer, ni scirem id agi, ne Josephi auctoritas valeat, aut Herodes Idumaeus origine fuisse putetur. Aliàs certè dignus est Cyrillus, quem tueantur omnes Loiolitae, homo nempe Jesuïtis simillimus, tot turbarum auctor, schisma-

tisque illius artifex, quo scissa fuit Ecclesia Christi innumeras in partes, & cujus operâ potissimùm factum est, ut Mahumedanorum virus, post tot dissensiones, in amplissimas orbis terrarum regiones effunderetur. Dabimus tamen amori veritatis Cyrilli defensionem, maximè cùm Harduïni argumenta non in Cyrillum ipsum, sed in sacram Antiquitatem dirigantur. „ (1) Nec Judaeum au„tem, inquit Harduinus, nec Idumaeum, „ sed Palaestinum, id est, Ascalonitam, ve„tus Auctor ait fuisse Herodem Tetrarcham, „ sub quo Christus est natus: sic enim loqui„tur libro VII. Γλαφυρῶν in Genesim, pag. „ 223. negatque ἐξ αἵματος Ἰσραὴλ fuisse: „ cùm prius idem libro X. de Adoratione in „ spiritu & veritate, pag. 345. Herodem „ Tetrarcham ἐξ αἵματος Ἰσραὴλ fuisse affir„marit: qui locus conferri praetereà potest „ cum libro 2. Γλαφυρῶν, aliisque locis plu„rimis, ubi vox ea rursum occurrit.„ Quae Harduïni dicta vix intelligi possunt, nisi ipsa Cyrilli verba subjiciantur, & levi, eâque necessariâ emendatione inter se concilientur. Ait ergo Cyrillus Glaphyrorum in Genesim libro VII. Ἦρχον μὲν γὰρ Ἰουδαῖοι καὶ ἐξ αἵματος Ἰσραὴλ ἦσαν οἱ παρ' αὐτοῖς ἡγεμόνες, μέχρις ἂν Ἡρῴδης ὁ Ἀντιπάτρου παῖς Παλαιστινὸς ὢν,

(1) *Prolusio*, pag. 94.

ὧν, τετράρχης ὠνόμασαι καὶ μετεποιήσατο τῆς ἀρχῆς. Id eſt: „ *Imperaverunt enim Judaei;* „ *& qui apud eos ſummae rerum praefecti fue-* „ *runt, ex ſanguine Iſraëlis oriundi erant, ad ea* „ *tempora uſque, quibus Herodes, Antipatri fi-* „ *lius, ortu Palaeſtinus, Tetrarcha nominatus eſt,* „ *& imperium ſibi vindicavit.* „ Nunc autem aliud teſtimonium proferamus è libro x. de Adoratione in ſpiritu & veritate: Χρόνον γε μὴν ἐπ' αὐτῷ κομιδῇ βραχὺν ἡθέντες Ἰουδαῖοι, λέγω τὸ προσδρεμεῖν τῷ δι' αὐτοῦ βαπτίσματι, καὶ θαῦμα ἐλεῖν ἐπ' αὐτῷ πολύ, καὶ ἐκοίμισαν τῷ θανάτῳ, μονονουχὶ τὸν ἀειφανῆ λύχνον κατασβεννύοντες· εἰ γοῦν καὶ Ἡρῴδου τὸ τόλμημα λέγοιτο τυχόν, ἀλλ' οὐν [lego οὐκ] ὄντος ἐξ αἵματος Ἰσραὴλ· λέγω τοῦτο Χριστὸς τοῖς Ἰουδαίων λαοῖς τὸ κατὰ πάντας ἁγίους θράσος ἐγκαλῶν, οὐκ ἐνδέχεται, φησὶ, προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἱερουσαλήμ. Id eſt: „ *Breve ad-* „ *modum tempus eo delectati Judaei* (Johanne „ Baptiſta) *cùm ad ejus Baptiſma concurrerent,* „ *& eum magnoperè admirarentur; eum morte* „ *ſopiverunt, lucernam ſemper lucentem prope-* „ *modum exſtinguentes: etſi tamen fortè id fa-* „ *cinus Herodis eſſe dicatur, qui ex ſanguine* „ *Iſraëlis oriundus non fuit. Propterea Chriſtus* „ *populis Judaeorum eam audaciam exprobrans,* „ *quâ adverſus omnes Sanctos uſi ſunt:* Fieri non „ poteſt, *inquit*, ut extra Jeroſolymas Pro-

„pheta intereat.„ Qui animum attenderint ad eam emendationem, quâ corruptum Cyrilli locum ſanavimus, fatebuntur haud aegrè, eam planè neceſſariò hîc fuiſſe adhibendam, nec Cyrillum vel minimum quidem in utroque loco à ſe diſſentire. Porro quae ab Harduïno de Palaeſtina & Idumaea afferuntur, ea levicula ſunt, & quae nemini negotium faceſſere poſſint.

Hinc apparet, eo animo Harduïnum antiquos Scriptores evolviſſe, ut ſyſtema ſuum collectis undecunque, ſive veris, ſive falſis auctoritatibus muniret. Qua in re deinceps manifeſtanda, nihil eorum praetermittemus, quae nefariam hominis temeritatem prodere, & pravas ejus molitiones ſi minus evertere, ſaltem retardare poſſim. Licet enim non nitatur auctoritate Patrum vera Chriſtianorum fides, aperitur tamen Harduïni auſis ingens feneſtra ad periculoſas aliquando dubitationes inducendas. Reverà dolendum eſt, inter eos, qui ab Eccleſia Papiſtica ſeceſſerunt, complures inveniri, qui Patrum ſcripta ob id unum legiſſe videantur, ut eos calumniis & maledictis omne genus inceſſant. Quod ut fortè haud ita admirandum ſit iis in hominibus qui, etſi malè diſſimulant, nomine, ore & moribus avitum Judaïſmum vel inviti produnt; vix tamen in iis tolerari poteſt, qui

Chriſtum

Christum sincero animo profitentur. Rem hîc paucis eruditorum notam memorabo, unde manifestum fiat, nefarias Harduïni cogitationes aliis in mentem venisse, qui non erant è Societate Loiolitarum; summoque cum periculo Christianae Religionis esse conjunctas.

Vixit ante septem annos Amstelodami Apostata quidam è Christiano Judaeus, vir certè eruditus, & instructus omni genere litterarum. Augustae Vindelicorum natus erat parentibus Pontificiis, & jam aetate grandis ad eos confugerat, qui Confessionem, quam vocant Augustanam, profitentur. Cùm in litterarum Ebraïcarum cognitione mirum in modum profeciisset, à nobilissimo viro, Knorrio à Rosenroth, vocatus est, eique praestò fuit in adornanda *Cabbalae Denudatae* editione. Portentosâ deinde animi levitate impulsus, Religionem crebrò mutavit, modò ad Socinianos transiens, modò ad Mennonitas, qui de Christo Domino nostro prope eadem sentiunt cum Socinianis. Post diuturnas tandem, ut ipse posteà confessus est, animi agitationes turpiter ab omni Christianorum communione defecit, & Amstelodami Judaeorum sacris initiatus, qui prius Joannes Petrus Speeth vocabatur, Moses German appellari incepit. Cum eo saepius in Hollandia collocutus est

vir eruditiſſimus, mihique familiaris, Joannes Georgius Wachter, qui ſcriptis etiam litteris [quas poſteà Germanicè edidit in lucem unà cum Apoſtatae reſponſionibus] eum ad veritatem, a qua diſceſſerat, revocare conatus eſt; ſed irrito conatu; neque enim ullam ſpem fecit reditûs ad Chriſtianiſmum, quem ex animo ejuraverat. Biennio aut triennio pòſt Amſtelodami mortuus eſt, veneno, ut ferunt, è medio ſublatus à Judaeis, qui eum nugas omnes Thalmudiſtarum non ſatis probare ſuſpicabantur. Edidit inter Judaeos agens, verſibus Alcaicis verſionem Latinam ſatis elegantem Odae Judaicae, MI CAMOCHA dictae, quam verpi in Feſto Purim cantitare ſolent. Fovebat miſerrimus Apoſtata eaſdem planè de Antiquitate ſententias, quas fovet Harduinus, & ſaepenumerò dixit, quod ſuprà laudatum Wachterum, qui haec ab eo audierat, referentem audivi, adinventam eſſe à Conſtantino Magno Religionem Chriſtianam, nec aliud eſſe quàm fabulas, quaecunque narrantur & ſcripta ſunt de martyriis veterum Chriſtianorum; Novum Teſtamentum, & eorum Patrum ſcripta, qui tribus poſt Chriſtum ſaeculis floruerunt, jubente Conſtantino fuiſſe conficta; Judaicam Religionem totum anteà terrarum orbem occupaſſe.

paſſe. En quò aliquando deduci poterunt, qui non ponderatis rerum & argumentorum momentis, & nullâ eruditione inſtructi, Harduïni commentis adhaerere volent. Differunt quidem in utroque Syſtemate rationes temporum; at levi negotio conciliabuntur, ſi ſemel admiſſa erit communis utrique profanae & ſacrae Antiquitatis inficiatio.

Superſunt haud pauca è *Proluſione*, quibus refellendis diutius immorari poſſim; ſed jam dudum animus geſtit adire ad Chronologiam, de qua ſtatim agere incipiam. Conſulat qui plura deſiderabit, Illuſtriſſimum Spanheimium (1) in recentiſſima editione Londinenſi egregii voluminis, *De Uſu & Praeſtantia Numiſmatum antiquorum*, ubi nobiliſſimus Scriptor, eruditione ſolitâ, nec ſine ingenti modeſtiae laude, permultas Harduïni allucinationes detegit & uberrimè refellit.

Ad contexendam Veteris Teſtamenti Chronologiam tres tantùm libros ſibi opus eſſe Harduïnus arbitratus eſt: Bibliorum, videlicet Vulgatam Verſionem, quam (2) *ſacram & authenticam Synodus Tridentina definiit, cui proinde eadem habenda ſit fides ab omni fidelium coetu atque ipſi exemplari, ſi adeſſet*

(1) *Vide praeſertim Diſſ. v. pag. 237. 238. Diſſ. vii. pag. 377. 381. Diſſ. viii. pag. 520. 521.* (2) *Chronol. pag. 3.*

adeſſet Θεοπνεύστε *Scriptoris manu exarato. Synodum ipſam abnegat, hoc quiſquis negat.* Herodotum (1) praetereà & Plinium, graves in primis Scriptores, & *omni exceptione majores*, perpetuos *Chronologiae* ſuae teſtes adducere ſtatuit; „ut in hac quoque cauſa, in„quit, valeat illud Moſis, & Chriſti deinde „Servatoris, Paulique effatum: *In ore duo„rum aut trium teſtium ſtet omne verbum.* „Enimverò, praeterquam quod ſi qui „Cteſiam, Diodorum, ſimileſque fabula„rum narratores Herodoto Plinioque ante„ponunt, ii palam faciunt, ſe nec ullum „habere guſtum in probis Scriptoribus aeſti„mandis, ſecernendiſque à vili grege, & „laborare etiam anticipatis opinionibus; quid „eſt aliud, amabò, infinitos (ut ferè fit) „proferre teſtes inter ſe diſſentientes, quàm „& operoſas inſtituere ac litigioſas infinitaſ„que diſputationes; & ex vetuſtis fabulis „novas in dies cudere; dum iiſdem Scripto„ribus inter ſe conciliandis alius aliam exco„gitat viam, indulgetque novis, ſed in„certis admodum conjecturis.„ Quae poſtrema Harduïni verba huc à nobis ideò adducta ſunt, ut collata cum iis, quae ſuprà è *Proluſione* retulimus, *inanem* illum *conjectorem*, qui tot ineptias effutivit, manifeſtò demon-

(1) *Chronologia, pag.* 2.

demonſtrent. Ceterùm non invidemus Herodoto & Plinio eas laudes, quibus jure meritòque ab Harduïno exornantur. Herodoto certè quanta in rebus Chronologicis eſſet fides tribuenda, jam pridem demonſtravit vir celeberrimus, & ſummi judicii Scriptor, Hermannus Conringius in *Adverſariis Chronologicis*, conſentitque cum eo, ut plures alios reticeam aetatis noſtrae Auctores, eruditiſſimus Graevius in notis ad primum librum Juſtini Hiſtoriarum. Qua ſanè in re ita Herodotum laudari aequum eſt, ut ne tamen ceterorum omnium rejiciatur auctoritas, neque Loïoliticae factionis impiae molitiones approbentur. Multum enim abſumus ab eorum non immeritò ſuſpecta facilitate, qui tantum abeſt, ut Harduïno nefarios ejus conatus vitio vertant, ut potius eum (1) *rigidiſſimi Criticorum* titulo exornatum velint. Mirificum porro illum conſenſum Herodoti cum Sacris Litteris jam ab aliis obſervatum fuiſſe, infrà oſtendemus, Harduïnumque inſignem plagiarium ſua nuſquam arrogantius jactare, quàm ſicubi doctorum virorum obſervationes & inventa compilat.

Vul-

(1) *Herodote, Auteur, dont le plus rigide des Critiques ne conteſte pas l'autorité.* Mem. de Trevoux, Août 1704. pag. 102. édit. de Hollande.

Vulgatae verò Verſionis Auctor, haud enim Hieronymus is cenſeri debet, ſi credimus Harduïno, vir fuit (1) *verè θεόπνευς&, aut certè ſingulari Numinis favore ſic in ſcribendo adjutus, nihil ut ab homine mortali quoquam fieri poſſit aequè elaboratum.* Jam ſacroſancti erunt Verſionis Vulgatae Barbariſmi, & manifeſti errores, hominis θεοπνεύς8 foetus habebuntur, quam opinionem ſuam, ut & ea, quae ſubjicit contra eos, quos Calvinianos vocat, Harduïnum è *Miſſionariorum* diſputatiunculis deſumſiſſe ſuſpicor: ejus enim generis ſunt, ut nemini perſuaderi poſſint, niſi violentiâ militari & armis inculcentur. Tantam autem Antiquitatem quorſum pertinet ei Verſioni aſſignare, cujus natales nemini latent eruditorum, niſi ut eò facilius omnes cùm Latini, tum Graeci Patres nigro Θῆτα inſigniantur, & expurgatâ traditione Eccleſiaſticâ, quam tandem Calviniani favere Loiolitae intellexerunt, veteres Decretales Epiſcoporum Romanorum & heſterna hujuſcemodi commenta, in veterum monumentorum locum reponantur? Obſtat verò Jeſuïtarum conſiliis veneranda Graecae verſionis Antiquitas, quâ verſione vetus Eccleſia Orientalis à Chriſti Domini & ſanctorum Apoſtolorum temporibus uſa eſt.

(1) *Chronologia*, pag. 4.

eſt. Ergo rejicienda erit; & Harduïnus, qui jam totus eſt in edendis Conciliorum Tomis, eam verſionem, quam unam Eccleſiae Orientalis Concilia agnoverunt, proſcribere non verebitur. Quis modò non mirabitur Eccleſiarum Galliae aut caecitatem, aut ſerviles animos, cùm ei homini Concilia in lucem edenda permiſſa ſint, cui neceſſarium eſt, ut ipſorum Conciliorum potiſſima pars ſpuria videatur? Rationibus Harduïni referendis ſupersedeo, quibus etſi nihil ineptius fingi poteſt, contra tamen totius Antiquitatis fidem probare contendit, (1) *factam eſſe Vulgatam Verſionem, priuſquam tales eſſent Graeci Hebraeique codices, quales nunc ſunt; atque adeò antè multò quàm Origenes aliique ſcriberent*; id eſt, antequam Archontianae officinae inſtaurarentur. Praecipua verò Harduïni argumentorum vis in Synodi Tridentinae auctoritate poſita eſt; qua in Synodo quantâ ſanctitate & religione res geſtae ſint, jam ſatis cognitum eſt, neque alium in eo praeter Pallavicinum, quem Harduïnus laudat, teſtem deſideramus. At memoria illius Synodi, quae Loiolitiçae Societatis honorificam mentionem fecit, cuique duo ex eâdem Societate Theologi, Jacobus Laynez, & Alphonſus Salmeron, interfuerunt, non

(1) *Chronologia, pag.* 4.

non poteſt quin toti Jeſuïtarum gregi ſacroſancta habeatur. In ea ergo Synodo de abjicienda Septuaginta Interpretum Verſione actum eſt; quam in rem ipſa Harduïni verba audire operae pretium videtur: „(1) Quid, „quòd Petrus Pacecus, Epiſcopus Gien„nenſis, vir eruditus in primis, in ea Syno„do cenſuit repudiandum penitùs eſſe textum „Graecum, qui LXX. Interpretum appel„latur, teſte Palavicino, libro VI. Hiſt. „Conc. Trid. cap. XV. n. 1. Cujus opi„nioni, credo, Patres ſubſcripſiſſent, ſi de „quibuſcumque Sacrae Scripturae tranſlatio„nibus judicium tunc ferendum fuiſſet; ac „non de ea ſolùm tunc pronunciandum fo„ret, quam Eccleſia Romana pro authen„tica haberi vellet, habuiſſetque ſemper; „dilato de ceteris judicio.„ Non parum conſuluiſſet Lectorum curioſitati Harduïnus, ſi de Graecae verſionis natalibus & incunabulis clarius animi ſui ſenſa declaraſſet: aegrè enim à nobis obtinebit in tanta penuria rationum, ut eam tranſlationem Scholis Archontianorum aſſignemus.

Eadem omnino ſentit de Pentateucho Samaritano, quod vetus exemplar incredibili temeritate ad ſaeculum XIII. id eſt, ad Severum Archontium revocare videtur. Ita enim

(1) *Chronologia, pag.* 3.

enim de eo loquitur : „ (1) Quod hodie Pen-
„ tateuchum Samaritanum appellatur , re-
„ centis eſt fabricae . . . . . A qui-
„ bus autem inducti in fraudem hodierni Sa-
„ maritae fuerint . . . . . qui ſint hu-
„ juſmodi recentis Pentateuchi primi condi-
„ tores , ariolari fortaſſis videbimur , ſi rem
„ eſſe nobis exploratam dicamus. Illud in-
„ terim in confeſſo eſt , vetuſtiſſimum exem-
„ plar Pentateuchi Samaritani , quod Mori-
„ nus vidit , manu exaratum fuiſſe anno
„ Chriſti M CCCC IV. Morino ipſo teſte;
„ nec ullum aliud exſtare multò vetuſtius.
„ Samaritanos codices , qui nunc habentur ,
„ dum Grotius affirmat , factos ex Graeco ,
„ Juſtiniani Imp. aevo ; de re ipſa ſat rectè
„ pronunciat ; de tempore , longè aberrat. „
Quodnam , amabò , genus eſt illud Criti-
ces , cujus hîc Harduïnum auctorem habe-
mus , ut ſcilicet ex uno aut altero Manuſcri-
pto codice de ceterorum omnium aetate ju-
dicare aggrediamur ? Quis interim Severum
Archontium & ejus officinam hîc innui non
animadvertit ? Quis ſimul non videt , occa-
ſionem praeberi his Harduïni verbis , om-
nium Religionum contemtoribus , quorum
numerus creſcit in dies , iiſdem aliquando ra-
tiunculis Sacrarum Litterarum veritatem im-
pugnandi ? His

(1) *Chronologia , pag. 6. 7.*

His tandem omnibus relictis, ad ulteriora progrediamur. Molitus eſt & perfecit Harduïnus *Chronologiam* eximiam & planè laudabilem, ſi perverſos conatus & audaciam tollas. Plurima habet, quae ſeſe viris eruditis haud aegrè probabunt; qualia ſunt (1), quae de Sinenſium Hiſtoriis & Annalibus affert, ejuſque modi alia non pauca; quae tamen, ut plurimùm, jam ab aliis aut dicta erant, aut à nemine in dubium vocabantur. Ea nihilominus in re ingenio & ſolertiae Harduïni nihil derogatum velimus, quem utinam tam veritatis ſtudioſum poſſemus agnoſcere, quàm egregiis ingenii dotibus à Deo Optimo Maximo ornatum ultrò fatemur.

Admirati ſunt omnes eruditi, quotquot fuerunt, qui Harduïni *Chronologiam* evolvere, incredibiles hominis ineptias & ſupra modum riſibiles (2) Etymologias eorum nominum, quae in Dynaſtiis Aegyptiorum occurrunt. Nemo ſanè intellexerit, quî factum eſſe putet Harduïnus, ut is coetus, qui eâdem inſaniâ & impietate agitabatur, quâ hodie Sociniani laborant, in illis excogitatis à ſe nominibus, omnia ſalutiferae redemtionis noſtrae myſteria concluſerit. Cui autem bono id moliti fuiſſent, neque Harduïnus, opi-

(1) *Chronologia, pag.* 21. (2) *Ibid. pag.* 27. 28. *& ſeqq.*

opinor, commodè unquam explicabit, neque quiſquam hominum conjiciendo aut ariolando aſſequetur. Sibyllini autem oraculi cujuſdam valde obſcuri, quod variis eruditorum expoſitionibus jactatum eſt, novam expoſitionem attulit, fabulis, & commentis quibuſlibet inepriorem. Id ſpecimen ſolertiae Loioliticae huicce Diſputationi inſerere decrevi, valde accommodatum ad demonſtrandam Harduïni de iis, quos Antiquitatis inſtauratores vocat, ſententiam; neque ingratum procul dubio futurum iis, ad quorum manus nondum ejus ſcripta pervenerint: deprehendent enim nonnihil, in quo nobiſcum admirentur acumen hominis, ſimulque intelligant, quo jure à Contubernalibus ſuis *rigidiſſimus Criticorum* nominetur: „ (1) Quo „ in genere, inquit Harduïnus, inſigne illud „ eſt, quod à nemine adhuc intellectum ar„ bitramur in oraculis (ut ajunt) Sibyllinis „ libro 1. pag. 170. ubi Deus inducitur Pa„ triarcham Noë admonere primùm, de fa„ bricanda ad diluvii vim evitandam, arca; „ tum quis ipſe ſit, his verbis indicare:

„ Εἰμὶ δ' ἐγὼ ὁ ἐὼν, (σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νόησον.)

„ Οὐρανὸν ἐνδέδυμαι, περιβέβλημαι δὲ θάλασσαν.

„ Γαῖα

(1) *Chronologia, pag.* 29. 30. 31.

„ Γαῖα δὲ μοὶ σήριγμα ποδῶν περὶ σῶμα κέχυται.

„ Αἰὴρ δ' ἠδ' ἄστρων με χορὸς περιδέδρομε πάντη.

„ Ἔννεα γράμματ' ἔχω· τετρασύλλαβός εἰμι· νόει με.

„ Αἱ τρεῖς αἱ πρῶται, δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάστη.

„ Ἡ λοιπὴ δὲ τὰ λοιπά, ἃ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πέντε.

„ Τῷ παντὸς δ' ἀριθμῷ ἑκαπταίδες εἰσὶ δὶς ὀκτώ,

„ Καὶ τρὶς τρεῖς δεκάδες, σὺν γ' ἑπτά· Γνῶς δὲ τίς εἰμι,

„ Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ θείης παρ' ἐμοίγε σοφίης.

„ Hoc eſt, Opſopoeo interprete:

„ *Porro ego ſum qui ſum, memori quod mente teneto.*

„ *Coelum veſtitum praebet mihi; pontus, amictum:*

„ *Aër, aſtrorumque chorus me circuit omnem.*

„ *Terra mihi fulcitque pedes, & corpus amicit.*

„ *Sunt elementa novem mihi: ſum tetraſyllabus autem.*

„ *Percipe me. Primae tres ſyllabae efficiuntur*

„ Ex

„ *Ex binis omnes elementis : cetera reſtant.*
„ *In reliqua, quorum ſunt non vocalia quinque.*
„ *Totius numeri bis ſunt hecatontades octo;*
„ *Et ter tres decades cum ſeptem. Si ſcieris me,*
„ *Non te, quâ potior, Sapientia dia latebit.*

„ Dei nomen quatuor ſyllabarum, novem „ litterarum, quinque conſonantium; ſic ut „ tres priores ſyllabae binis conſtent ſingulae „ litteris, quarta ac poſtrema ternis; litte- „ raeque conjunctim omnes Graeco more „ ad numeri ſignificationem revocatae, effi- „ ciant numerum MDC LXXXXVII. qui „ numerus eſt anni praeſentis, quo iſta edi- „ mus; ecquod tandem nomen iſtud eſt? „ Fingamus animo, fuiſſe hujus aenigmatis „ architectum hominem atheum, cui pri- „ mùm pro Deo eſſet ſive natura cum ſa- „ pientia, quam ei comitem adjungeret; ſive „ Bonum aut Ens univerſale, *l'eſtre en ge-* „ *neral*, τὸ ὄν, τὸ ἀγαθὸν: Ens entium. Pro „ Trinitate deinde, ſive unum, verum, bo- „ num; ſive modus, ſpecies, ordo; ſive „ ſubſtantia, virtus, actio; ſive naturae „ potentia, ſapientia, efficientia; unde, „ velut ex univerſali in individua, manat in „ entia ſingularia, eſſentia, pulcritudo, uti-

„ litas; quae trinitas ſecundaria ſit, ex iſſa
„ priore fluens, ejuſdemque imago quae-
„ dam. Huic ſanè homini ita licuit indu-
„ cere Deum loquentem, hoc eſt, Ens uni-
„ verſale; ut affirmaret, ſibi caelum & mare
„ eſſe pro amictu atque veſtitu; corpus item
„ ſuum terrâ circumtegi; aſtra circum
„ ipſum volvi; ſimileſque addere blaſphe-
„ mias. Quoniam videlicet Ens univerſale
„ in individuis, ut Metaphyſici loqui ſolent,
„ ſuis differentiis conveſtitur. Veſtimentum
„ Entis univerſalis, caelum, terra, mare,
„ & quodlibet Ens ſingulare eſt. Veſtitum
„ enim ens, Naturave ipſa, non apparet niſi
„ in ſingularibus. Haec ab Ente univerſali,
„ modum, ſpeciem, ordinemque; eſſen-
„ tiam, pulcritudinem, utilitatemque par-
„ ticipant. Is ergo Deus atheorum ſic aenig-
„ maticè loquens, inducitur per proſopo-
„ poeiam: Ego mundum perdam diluvio:
„ ego ipſe reſarciam veſtimentum meum.
„ Inde nomen illi ΜΑΔΑΡΑΨΩΝ· voce
„ compoſitâ ex Hebraeo מד vel מדה *veſti-*
„ *mentum*, cum ה paragogico (ut in Hacel-
„ dama, Act. 1: 19.) & ex Graeco *ῥάψων*,
„ futuro participii *ῥάπτω*, *ſarcio*, *contexo*,
„ *concinno*: ut ſit ΜΑΔΑΡΑΨΩΝ, is qui
„ mundum eſt inſtar veſtimenti reconcinna-
„ turus, ex ejuſdem Sapientiae legibus, quae
„ mun-

„ mundum primò condidit; quamque ineſſe
„ Naturae, verſus poſtremus admonet. Num
„ ea mens fuerit Sphingis iſtius, paucis certè
„ cognitae, judicent periti. Certè talis vox
„ ea eſt, qualem propoſuit in aenigmate;
„ ſive numerum atque ordinem ſpectes litte-
„ rarum, ex quibus illa conflatur; ſive nu-
„ merum annorum qui deſiderabatur; ſive
„ totam denique propoſiti aenigmatis ſeriem.
„ Eſt enim vis ac poteſtas harum litterarum,
„ cùm pro numeris accipiuntur; ut ſittera
„ M 40. ſignificet: A ter repetita, tres uni-
„ tates: Δ numerum quaternarium: P 100.
„ Ψ 700. Ω 800. N denique 50. Summa
„ igitur totius numeri eſt, 1697. Nec verò
„ ulla poſſit Algebra aliam vocem extundere,
„ quae ſit huic loco opportuna, habeatque
„ has dotes. Nam voces ex Hebraco Grae-
„ coque mixtas ab his confingi; ſolitas eſſe,
„ teſtis eſt praeter ceteras vox Bethphania,
„ apud Joan. Belethum & alios. Credas
„ profectò hujus aenigmatis auctorem in ea
„ fuiſſe impia haereſi, quam neſcio quis T.
„ Burnetus nuper in Anglia revocavit: ad
„ cauſas ſcilicet merè naturales diluvium re-
„ ferendum eſſe; ut illo tempore non minus
„ neceſſariò acciderit, quàm Solis ac Lunae
„ deliquia ſtatis tempeſtatibus.„

Qui primùm haec legerint, ea ludibrio

potius quàm accuratâ refutatione digna judicabunt; ſomniaque & deliriones eſſe arbitrabuntur, quas

Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

Talia certè mihi ſemper viſa ſunt, neque tamen ita contemnenda putavi, cùm penitius iis animum attendens nonnulla animadverterim, quae proſint ad intelligendum Harduini ſyſtema, diſcutiendaſque ea tenebras, ſub quibus illud tantiſper latitare voluit. In primis hoc obſervandum eſt, hìc iterum Antiquitatis inſtauratorum aeram deſignari. Tot enim Harduini circuitiones, & ratiunculae aliae ab aliis deductae, quid ſibi volunt, amabò, niſi aevo primorum Scholaſticorum, quando de *individuationibus*, & *Univerſalitate Entis* in damnum litterarum agi coepit, aſſignandas eſſe SEVERI ARCHONTII & Sociorum ejus officinas? Id etiam innuit ibi nominatus Joannes ille Beleth, Scriptor *Rationalis Divinorum Officiorum*, de cujus aetate ambigitur, etſi ad duodecimi ſaeculi finem, aut ad initium decimi tertii eum referendum eſſe, Caveus & alii, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſcripſêre, fateantur. Ex eorum ergo numero Joannes Beleth fuit, qui Vetuſtatis ea, quae manibus hodie verſamus, monu-

monumenta confinxerunt; quod ſanè nemo crediderit, qui ejus ſcripta leget tam remota à veteri Latinitâte, ut nemo, praeter Harduïnum & ejus Socios eam in ſuſpicionem adduci poſſit. Quàm puerilis autem fuit, & malè ſibi conſtans eorum hominum Atheiſmus, qui ex Sapientiae legibus mundum *condi, & reconcinnari* debuiſſe fatebantur! An, quaeſo, aliqua eſſe poteſt in rebus inanimatis, & quibus nullum Numen praeſit, ſapientia? An praetereà haec in mentem venire potuerunt *Sphingi iſti paucis certè cognitae*, ſed cujus Harduïnus ſe nomen & aetatem nôſſe, non obſcurè ſignificat? Haec tamen aliquâ ſimilitudine veri niti fingamus; erit ne vaticinatus homo atheus & nefariae fraudis artifex, eum annum, quo redivivus Oedipus Harduïnus, malignae Sphingis obſcuriſſimum aenigma ſoluturus erat? Litterae enim, *ex quibus vox illa conflatur, ſunt numeri annorum*, ut ſuprà Harduïnum ipſum referentem audivimus. Quae omnia quàm bellè inter ſe cohaereant, vel leviter eruditi judicabunt. Quis autem Harduïni acumen in Hybrida voce ΜΑΔΑΡΑΨΩΝ comminiſcenda non mirabitur, quâ vult *Bonum*, aut *Ens univerſale*, ſive Deum Atheorum ſignificari? Erunt qui non intelligent, quo pacto *Bonum* hinc extundi poſſit; verùm ii docendi ſunt lin-

guâ Harduïni maternâ, hoc eſt, Armoricâ, hanc vocem MAD, quam Ebraicè alium in ſenſum interpretatus eſt, *Bonum* ſignificare. Dandum ſcilicet id erat dignitati illius linguae, quâ Titanes olim uſi ſunt, quaeque vulgaris aliquando fuit in aula Jovis, ad montis Olympi radices, ut nos nuper docuit, popularis Harduïni, Pezronius, Becanus Armoricanorum. At in eo Oraculo *Deus Atheorum*, ſive Natura, *aenigmaticè loquens inducitur per proſopopoeiam.* Proh incredibilem hominis temeritatem, qui voces ex ipſis Divinis Codicibus deſumtas in Atheiſmi ſuſpicionem vocat! Nec eo facinore contentus, quî ſomnia ſua tueatur, eam Barbarae voci ſignificationem adjungit, quâ nulla ineptior excogitari poteſt. At quam ſibi placet hoc commento! quamdiu in eo immoratur! Nullam aliam *ullâ Algebrâ extundi poſſe* pronunciat, *quae ſit huic loco opportuna, habeatque has dotes:* quibus verbis, ni fallor, intelligit, nullam aliam vocem afferri poſſe, quae ineptiſſimo Harduïni ſyſtemati melius congruat; quod ut negare non eſt animus, aliam tamen ei proponam, quae ad Pſeudo-Sibyllae ſenſum quàm proximè accedere videatur. En itaque vocem τῷ Μαδαραΐονη Harduïniano planè ἰσόψηφον, quâ Ebraicis vocibus nomen Dei indigitatur. Ea

eſt

eſt Δωνὲ γαδωλ ex Ebraico יהוה גדול, in qua nomen τετραγράμματον יהוה quod ab omni Antiquitate Judaei Adonai efferre ſolent, levi immutatione ad Phoeniciam pronunciationem inflectitur. Haud enim deſunt exempla immutatae iſtius vocis κατ' ἀφαίρεσιν: nam ut illud AVO DONI praetermittam ex Plauti Poenulo, & Epitaphio Meleagri Poëtae, libro III. Anthologiae, de quo adeundus eſt Bocharti Chanaan, lib. 2. cap. 6. in Johannis Macarii Commentariis de Abraxa, vox Adonai eodem modo decurtata legitur in Gemma quadam Baſilidianorum (1): IAΩ ABPACAΞ ΔOΩNAI. Quam vocem cum adjuncto epitheto, Pſeudo-Sibyllinorum Oraculorum Auctorem in animo habuiſſe, parum abeſt, quin, hiſce potiſſimùm rationibus adductus, exiſtimem. Propemodum in confeſſo eſt apud eruditos [Harduïnum & Sodales excipio] haec Oracula à quibuſdam Haereticis, qui ſaeculo ſecundo à Chriſto nato vixerunt, fuiſſe conficta. Ii, ſive Gnoſtici fuerunt, ſive Montaniſtae, familiares ſanè illis temporibus fabulas non ignorarunt, neque neſciverunt Gnoſticos, (2) Irenaeo teſte, fabulatos eſſe, ad Deum Adonai praecipuo quodam

(1) *Johannes Macarius in Abraxa, Tab. V. Gemmâ XIX.* (2) *Irenaeus, lib. I. pag. 111. col. 1.*

jure Esaiam, Ezechielem, & Danielem Prophetas esse referendos. Eaedem praeterea voces גדול יהוה, Gadol Adonai, in libris Prophetarum crebrò repetuntur, & ab omni aevo frequentes fuerunt in ore Judaeorum, à quibus eas mutuati sunt, ut vero simillimum videtur, quicunque tandem ii fuere, qui hoc oraculorum commento, primae Christianorum aetati illudere voluerunt. Verùm ea mittamus, in quibus & sine ullo emolumento verum invenitur, & post multam inquisitionem facillimum est allucinari.

Superiores nugas non admirabitur, qui legerit ea, quae proximè consequuntur, in quibus apparet (quis enim hoc negare sustinebit?) non unum aut laesi cerebri, aut incredibilis animi malignitati argumentum; quod posterius tamen, gravibus de causis facilius Harduino inesse crediderim. Sed ipsum iterum audiamus: „ (1) Manethon, inquit, „ fit ex MAN voce Germanica, quae ho„ minem sonat; [ut *Mansur* hominem Syrum „ significat:] deinde ex את *cum*, & אין „ *virtus*. Homo igitur, vel *filius hominis cum* „ *virtute*, ut apud Matthaeum legitur, cap. „ XXIV. 30. Christus est; quem *Dei virtu*„ *tem* Paulus appellat: cujus Divinitatem his „ verbis exprimi, *Virtus Altißimi*, Lucae I. „ 35.

(1) *Chronologia*, *pag.* 32. 33.

„ 35. multi Veterum crediderunt.„ Hoc alterum esto specimen Harduïni Etymologiarum, ne dicam reconditae sub involucro harum ineptiarum impietatis. Hîc certè nescio quid latere necesse est, quod nullâ conjecturâ assequi possit; si quidem quae modò ex Harduïno descripta sunt, cum ipso ejus systemate manifestissimè pugnare videntur. Quis enim crediderit, eam Societatem, quae tot vetustorum Scriptorum confingendorum provinciam eo consilio ceperat, ut omnem sacro-sanctae Religionis Christianae doctrinam labefactaret; ubique locorum, quin & in ipsis commentitiorum Auctorum nominibus, certissima quaeque fundamenta Christianae pietatis adscripsisse? Atqui eò majorem & damnosiorem fraudem hic latere suspicari licet, quò minus eae ratione conjici possunt, quae Harduïnum ad tot nugas effutiendas impulere. Non idcò tamen eum dimittemus, antequam fuerimus interpretati, quid intellexerit eâ voce MANSUR, quam huc obiter injecit. Eo nomine vult *hominem Syrum* indicari, pro Germanica significatione illius vocis, eâdem planè ratione, quâ in Manethonis nomine nugatus est. Eâ scilicet arte hîc utitur, ut Joannes Damascenus, celeberrimus octavo saeculo cultûs imaginum propugnator, „ cujus auctoritas apprimè tamen Eccle-

ſiis Pontificiorum neceſſaria eſt, in ſuſpicionem veniat, & ſi fieri poſſit, commentitiis Scriptoribus annumeretur. Is eſt enim ille MANSUR, quem in animo habet: quod nomen nemo melius illuſtrabit, quàm Theophanes, Graecus Scriptor, Damaſceno ferè aequalis, non ſegnis & ipſe imaginum defenſor, cujus verba hoc loco adſcribemus (1): „ Ἐν δὲ τῇ κατὰ Συρίαν Δαμασκῷ Ἰωάννης ὁ „ Χρυσορρόας πρεσβύτερος καὶ μοναχὸς ὁ τοῦ „ ΜΑΝΣΟΥΡ, διδάσκαλος ἄρις, καὶ „ βιῷ καὶ λόγῳ προέλαμπεν. Id eſt: *Tum verò* „ *Damaſci Syriae Joannes Chryſorrhoas*, MAN„ SUR *filius*, *Doctor egregius ſanctitate vitae* „ *aeque ac doctrinâ fulgebat.*„ Item infrà Theophanes: „ (2) Ὁ ὅσιος πατὴρ ἡμῶν Ἰωάννης ὁ „ καλῶς ἐπικληθεὶς Χρυσορρόας διὰ τὴν ἐπανθοῦ„ σαν αὐτῷ τοῦ πνεύματος ἔν τε λόγῳ καὶ βίῳ χρυ„ σαυγῆ χάριν, ὃν Κωνσταντῖνος ὁ δυσσεβὴς βασι„ λεὺς ἐτησίῳ καθυπέβαλεν ἀναθέματι διὰ τὴν „ ὑπερβάλλουσαν ἐν αὐτῷ Ὀρθοδοξίαν, καὶ ἀντὶ „ τοῦ πατρικοῦ ὀνόματος αὐτοῦ Μανσοὺρ, ὃ ἑρμη„ νεύεται λελυτρωμένος, Μανζηρὸν, Ἰσδαϊκῷ „ φρονήματι μετονομάσας τὸν νέον τῆς (3) ἡλικίας „ διδάσκαλον: „ Hoc eſt, ex veteri Landulphi Sagacis interpretatione, quâ Baronius uſus

(1) *Theophanes, Chronographiae pag.* 342. *edit. Regiae.* (2) *Ibid. pag.* 350. (3) *Legendum eſt,* τῆς Ἐκκλησίας διδάσκαλον.

usus est, ad annum Christi DCCXLII. „ *Sanctus pater noster Joannes, qui bene co-*
„ *gnominatus est Chrysorrhoas, propter auream*
„ *& fulgidam Spiritûs Sancti gratiam, quae in*
„ *ipso tam verbo, quàm in vitae actu efloruit,*
„ *quem videlicet Constantinus impius Imperator*
„ *annuo, propter eminentem Orthodoxiam ejus,*
„ *anathemati submittebat, & pro* MANSUR,
„ *quod ejus avitum nomen est, quodque* redem-
„ tus *interpretatur, sensu Judaïco, norum Ec-*
„ *clesiae Magistrum* (1) Manseron *mutato no-*
„ *mine vocitabat.*„ Latinam hanc interpretationem è libro XXII. Rerum Romanarum Pauli Diaconi repetendam esse censui, tum ob venerandam ejus antiquitatem; tum propterea quòd haud paulò clarior est eâ, quam in editione Parisiensi è regione Graeci textûs addiderunt. Hîc interim heroicum Harduïni facinus observari potest, qui quatuor antiquos Scriptores, quorum duo priores Graeci, alii duo Latini sunt, Theophanem videlicet & Joannem Damascenum, Landulphum Sagacem & Paulum Diaconum, breviſſimo commate ad Archontianorum officinas ablegatos, è numero Antiquorum exterminavit.

Quòd autem inventum suum, in ejusmodi

(1) *Non ingredietur Mamzer in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem.* Deut. XXIII. 2. *quem in locum consulendi sunt Interpretes.*

nominibus ad radices ſuas revocandis, & teſtimoniis Sacrarum Litterarum illuſtrandis, tantopere extollit; in eo non abludit à moribus ſuis, homo ſomniorum ſuorum unicus admirator. Quàm pronum eſſet ei, qui hujaſmodi ineptiis indulgere vellet, eadem omnino in ipſa Galliae Regum ſtirpe commiſci! neque enim ea in re ad Plinium & Herodotum, ad quos provocat (1) Harduïnus adire neceſſe eſt: at quis, niſi ineptus & Harduïno ſimilis, otium ſuum in fanaticis nugis & nullius emolumenti rebus libens conſumſerit? In ipſo Harduïni nomine annon occurrunt duae voces, quarum altera Arabicae, altera Graecae originis eſſe poſſit, أَرْضٌ Ardo, *terra*, & οἶνος, *vinum*, quas. ſi quis, qui eodem exemplo ineptire volet, cum Eſaiae cap. XXXVI. verſ. 17. contulerit [haec eſt enim ſapientiſſima methodus; quam ubique in Dynaſtiarum nominibus eruendis uſurpat Harduïnus] numquid non ex ea migratione, quam Rabſaces Ebraeis ibi pollicetur, Harduïni genus & originem eruere poterit? At pudet pigetque his nugis tractandis immorari, cum quibus Goropianae ſi conferantur, tot olim eruditorum ludibriis

(1) *Chronologia, pag. 33. linea ultima.*

dibriis e ceptae, ab omni ſtatim inſaniae opinatione liberabuntur.

Praetereà, qui cumulus eſt omnis temeritatis & impudentiae, (1) de lingua Coptica, cujus tot monumenta in Bibliothecis Pariſienſibus, & alibi paſſim inveniuntur, *deliberandum* putat, *an ficta in otio cenſenda ſit.* Quod dubium nemo ſapiens, nemo litteris & cognitione rerum vel leviſſimâ tinctus, moveri audiet, quin, ut puto, in cachinnos erumpat, ſimulque Harduïno graviter ſuccenſeat. Crediderim ſanè utrumque fieri poſſe, etſi abjectâ irâ temeritatem inepti deliberatoris & conjectoris inaniſſimi deridere malim. Quid enim? Coptorum, qui in Aegypto degunt, quis neſcit eâ linguâ, quam Harduïnus ſuſpectam habet, ab antiquis temporibus ad noſtram aetatem ſacra adminiſtrari? Tam deliberari poterit de Graeca, de Latina, de Gallica lingua. An tot itinerariorum, recentiſſimique prope omnium Vanſlebiani fides ambigua erit, quod ita placuerit Harduïno, nullam auctoritatem, nullam rationem afferenti? Quis neſcit, veteres Eccleſias, quae Coptorum Patriarchae Alexandrino parent, cuique dicto audiens eſt ampliſſimum in Africa Habeſſinorum imperium, adeò certis argumentis illius lin-

(1) *Chronologiae, pag.* 34.

guae & gentis Hiſtoriam ab omni falſitatis ſuſpicione vindicare, ut ne leviſſimum quidem ſuperſit in re manifeſtiſſima dubitandi argumentum? Verùm Harduïni pervicax in neganda quavis veritate animus, linguam Saxonicam, cujus ipſa, ut ita loquar, incunabula nobis perſpecta ſunt, in par dubium adducere conatur. Quàm fruſtra Harduïni ipſius argumenta luculenter oſtendent; ut gentis Hiſtoriam taceamus, quam nemo ignorare poteſt, niſi qui planè hoſpes ſit in eorum Auctorum lectione, qui res poſt afflictum Imperium Romanum in Europa geſtas deſcripſerunt. (1) *Lingua Saxonica*, inquit, *nihil aliud quàm Germanica illius aevi eſt, quo ſunt haec exarata.* Atqui alia eſſe nequit; cùm Angli, qui eâ linguâ loquebantur & ſcribebant, majorum ſuorum Dialecto, ut par erat, uterentur. Quantae temeritatis eſt, migrationem Anglo-Saxonum in Britanniam inſulam negare, quâ factum ſit, ut vetus Britonum gens cruentiſſimis bellis affligta, & variis jactata diſcriminibus, partim in Cornubiae & Walliae Provincias ſeceſſerit; partim, ut (2) Gildâ Auctore compertum eſt, quò ſe Saxonum crudelitati & rapinis eriperet, in remotiores ultra mare regio-

(1) *Chronologia, pag.* 34. (2) *In excidio Britanniae.*

regiones transfretaverit? Attendisset modò Harduinus ad ipsam Armoricorum popularium suorum linguam, qui quinto à Christo nato saeculo, patriis sedibus, quae in Britannia fuerunt, ab Anglo-Saxonibus pulsi Armoricas oras in Gallia incoluerunt, ab inepta profectò se hujusmodi suspicione abstinuisset: cùm veteri linguâ Britonum, cujus usus Corisopiti promiscuus est, Angli etiamnum *Saussen*, id est, Saxones; & Anglia *Bro-Saussen*, id est, Saxonum regio, nominetur. Neque adeò abiit ab origine sua temporibus nostris Anglorum lingua, quin adhuc certissima & explorata Germanicae originis vestigia retineat. (1) *Characteres* illius linguae *pro arbitrio ab artifice excogitatos* vult Harduinus: *diversos certè ab his, quibus* OFFA REX *suos olim nummos inscripsit; qui sunt omnino Latini.* At verò nullus superfuisset Harduino, in rem ipsam attentius perspicienti, dubitandi locus. Quantumvis enim abiissent à Romanis quotidiani iis temporibus Anglo-Saxonum Characteres, haud tamen earum litterarum, quas Majusculas vocant, usum omnem Angli abjecerant: quae etiam consuetudo nostra est Europaeorum, qui licet litteris à veteribus Romanis magnopere declinantibus utamur; in titulis

(1) *Chronologia, pag. 34.*

titulis tamen, in inſcriptionibus & *nummis* vetuſtos Latinorum Characteres retinemus. Neque litteras ſuas Anglo-Saxones excogitarunt, quas videntur omnino à Britannis accepiſſe, cùm ipſi nullis anteà litteris uterentur. Perdurat adhuc apud Hibernos earumdem litterarum uſus, quod Harduïnus verum eſſe intelliget, ſi modò Sacras Litteras illius gentis linguâ editas, quarum unum exemplar Pariſiis in Bibliotheca Regia aſſervatur, perluſtrare voluerit. Scio equidem, Georgium Hickeſium, virum eruditiſſimum, in laborioſiſſimo & doctiſſimo opere, quod ante biennium in Anglia evulgavit, in diverſam omnino à nobis ſententiam abire (1), & Saxonum litteras longè vetuſtiores quàm ſtatuimus, arbitrari. Verùm impune, ſpero, licebit abire à candidiſſimi hominis ſententia, qui nihil hîc opponit, niſi Hunibaldi, commentitii certè Scriptoris, & quem nemo praeter unum Trithemium vidit, auctoritatem; quem Hunibaldum ab eodem Trithemio confictum fuiſſe, multi eruditorum gravibus de cauſis, neque immeritò ſuſpicantur. Quòd autem fulciendae ſuae ſententiae prolatis, è manu exaratis codicibus litteris quibuſdam, ſe conſuluiſſe putat, in eo non videmus quidquam,

(1) *Thesaurus Linguarum Septentrionalium; Grammatica Franco-Theotiſca, pag. 2. & ſeqq.*

quam, quod proleſſe poſſit aſſerendae Trithemianorum commentorum auctoritati. Et ſanè ex ipſo eruditiſſimi viri incomparabili opere, manifeſtò ſatis apparet, varias, quae tunc Britanniam incolebant, nationes id egiſſe, [ne aliis gentibus ignobiliores viderentur] ut litteras confingerent, quaſi proprias gentis ſuae, quos etiam, ſi fieri poſſet, in deſcribendis libris uſurparent. Unde enim, quaeſo, niſi ex eo orta eſt in Codicibus Britannicis, tanta litterarum & Alphabetorum varietas, incognita aliis Europae regionibus, ubi non minor ſanè Manuſcriptorum librorum copia occurrit? Nec opus eſt hîc conjecturis indulgere, quando teſtimoniis ab ipſo clariſſimo Hickeſio allatis res ipſa conficitur. Ita Grammaticae Anglo-Saxonicae & Moeſo-Gothicae, pag. 168. in Theſauro Linguarum Septentrionalium, Alphabetum quoddam oppidò ludicrum, vetuſtiſſimum tamen, hoc titulo praenotatum occurrit: *Nemninus iſtas reperit literas, vituperante ſic quidam Scholaſtico Saxonici generis; quia Brittones non haberent rudimentum. At ipſe ſubtilò ex machinatione mentis ſuae formavit eas, ut vituperationem & hebitudinem dejeceret gentis ſuae.* Scilicet exiſtimabant, in infantia illorum temporum, cùm vix aliquando gravioribus ſtudiis occuparentur, acuminis ineſſe neſcio quid

quid in excogitandis ejuſmodi monſtris litterarum. Tantum ergo abeſt, ut clariſſimi Hickeſii ſententiam hoc loco amplectamur, ut potius veriſimillimum putemus, Danos, qui in Anglia aliquandiu regnarunt, & diuturnam poſteà in inſulis Britannicis moram fecerunt, quaſi fructum quemdam migrationis ſuae litteras, quas in Britannia didicerant, in Septentrionales plagas retuliſſe. Hanc eſſe Danicarum & Suecicarum Runarum originem crediderim: id quod uberius probare haud ita operoſum arbitror; verùm in re ipſa demonſtranda, & evertendis non paucorum hominum praejudicatis opinionibus longius quàm opus ſit, à propoſita mihi ſcriptione abſtraherer (1). At ne quis graviter ferat, nos à multis eruditorum hîc diſſentire, opinionem noſtram Hermanni Conringii, graviſſimi Scriptoris, & incomparabili judicio praediti, auctoritate muniemus:

„ Jam

(1) *Runarum meminit Venantius Fortunatus, lib.* VII. *n.* XVIII.

Barbara fraxineis ſculpatur Runa tabellis:

at ibi vox Runa *de qualibuſcunque Francorum litteris intelligenda eſt. Francos enim paſſim Barbaros Fortunatus appellat: ſic aliquo loco Barbariam, id eſt, Franciam, opponit Romaniae. Et alibi:*

Chilperice potens, ſi interpres *Barbarus* adſit;

id eſt, Francus. *Iis, quae è Jornandis Gothicis objiciuntur, eâdem facilitate reſponderi poteſt.*

„ Jam verò, inquit (1), in Praefatione ad
„ Cornelii Taciti librum de Moribus Ger-
„ manorum, Cornelii quidem Taciti noſtri
„ aetate, unum apud Germanos Annalium
„ genus carmina erant : litterárum ſecreta
„ viri pariter foeminaeque ignorabant. Nec
„ mirum ſanè, quum illo aevo ne vicinis qui-
„ dem cultioribus gentibus multus litterarum
„ uſus fuerit. Acceperant Galli à Maſſilien-
„ ſibus Graecis litterarum characteres, ſed
„ iis ad epiſtolas quidem & rationes patrio
„ ſermone ſcribendas utebantur, leges tamen
„ & ſacrorum ritus ne Julii Caeſaris quidem
„ tempore iis exprimebant ; multò minus,
„ geſtas res. . . . . Similiter in Britan-
„ nia nullam rerum memoriam, vel Julius
„ Caeſar, vel multò pòſt C. Cornelius Ta-
„ citus invenerunt. Etſi verò in iis terris,
„ ſequentibus ſaeculis, exortum aliquid lit-
„ teraturae per Romanos ſit ; interim tamen
„ Germania litteras perrexit ignorare. Non
„ enim erat, unde eas ſibi acciperet, quum
„ Romanos odio pluſquam Vatiniano pro-
„ ſequeretur. Multo pòſt tempore Latinis
„ Characteribus Francicum ſermonem exa-
„ rare conatum, difficultate tamen territum id
„ omiſiſſe Carolum Magnum Caeſarem, te-
„ ſtis eſt Eginhartus. Nec verò tametſi unus
„ al-

(1) *Conring. pag.* 46. 47.

„ alterque poſt, idem conatus ſit, in mo-
„ rem ſtatum id abiit, ſed vix ante ſaeculum
„ Chriſtianum tertium decimum frequen-
„ tatum. Antiquiſſima certè Imperii Conſti-
„ tutio, quae noſtratis ſit linguae, Frideri-
„ co II. Caeſare condita eſt anno CIↃ CC
„ XXXVI. quare ejus rei, ut inſolitae hacte-
„ nus diſertim meminit Godofredus Agrip-
„ pinenſis ad S. Pantaleonis Monachus. Ne-
„ que credo, memoriam aliquam rerum pa-
„ terno ſermone ante iſthaec tempora conſi-
„ gnatum uſquam reperiri: hactenus ſanè ni-
„ hil tale editum in lucem eſt. „ Haec vir in-comparabilis, quo nemo felicius Germanicas Antiquitates illuſtravit. Ne quid autem deſit eorum, quae faciunt ad eam opinionem, quam ſuprà propoſui, defendendam, ejuſdem Scriptoris ea verba adſcribam, quibus Diſputationem ſuam de veteri Germanorum litteratura concluſit: „ (1) Haud neſcio, „ inquit, jactari ab Arctoïs gentibus rupes „ Runicis, quas appellant, litteris à remo-„ tiſſimis uſque ſaeculis loquentes: aſt verò „ [quod illarum pace liceat proferre] pri-„ mùm tale nihil habet Balthico mari ſubje-„ ctâ Germaniâ, quae & nobiliſſima eſt, & „ Imperii Romani nunc gaudet cognomen-„ to; deinde, non multum illae rupes ha-„ bent.

(1) *Conring. pag.* 48.

„ bent rerum antiquarum; quaedam poſtre-
„ mum multa ficta narrando fidem omnium
„ vehementer ſuſpectam reddiderunt.

Verùm tempus eſt ad ipſum Harduïnum redeundi, à quo tantiſper digreſſi ſumus. Palam aperuit, & ingenuè confeſſus eſt, quid potiſſimùm ei Antiquitates Saxonicas adeò infenſas reddiderit: „ (1) Ejus, inquit, lin-
„ guae eſt Saxonica *Ælfrici* nomine homilia
„ de Euchariſtia, Ratramni ſenſu, ſtylo,
„ atque ipſo ſubinde ſermone conſcripta, hoc
„ eſt, haeretico. „ Hinc illae lacrymae. Purganda eſt, ut dixi, traditio, cui nemo ante Harduïnum medicas manus admovit. Commentis omnia olim explicationibus & diſtinctiunculis elevabantur. Rem malè ſucceſſiſſe boni Patres intellexerunt. Ad ferrum ergo, ad carnifices, ad eam vim & crudelitatem deventum eſt, quae poſteris aliquando incredibilis erit; verùm irrito ſucceſſu, id quod hodie experiuntur, qui ut ſoli dominari poſſent, florentiſſimum olim Galliae Regnum perdidere. Haud tamen plus proficient, ſaeviant licet, negato in controverſia Euchariſtiae, Antiquitatis unanimi conſenſu (2). Quamdiu vigebunt Sacra-

(1) *Chronologia, pag.* 34. (2) *Eruuntur ſaepe novae Patrum auctoritates, quibus Tranſſubſtantiationem Antiquis incognitam fuiſſe manifeſtetur. Sic erutae ſunt*

crarum Litterarum uſus & lectio, nunquam veritas interibit; quae ſi aliquando latuerit & periiſſe videbitur, è cineribus tamen ſuis poſt breve tempus rediviva prodibit, factionique Loioliticae ſuperſtes carmen ἐπινίκιον cum Agno canet, nec ſine ſuavi praeſentis gloriae ſenſu praeteritos dolores & cruciatus recordabitur. Interim laetâ ſpe victoriae, inimicis ſuis hoc veteris Poëtae verſu reſpondebit:

Κἢν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔπι καρποφορήσω.

Me licet arrodas, fructus tamen uſque dabuntur.

Ælfrici nomen quod attinet, quod Anglicae ſignificationis Harduïnus eſſe negat, qui in eo interpretando redit ad familiares ineptias, monendus eſſe videtur, ut linguam Anglo-Saxo-

ſunt aetate Patrum noſtrorum celeberrima Facundi Hermianenſis & Chryſoſtomi ad Caeſarium teſtimonia. Quibus licet hoc Athanaſii addas, nemini, ut puto, adhuc obſervatum: Ἐπιτελῶν γὰρ (ὁ Κύριος) τὸ ἅγιον μυστήριον, εὐλογήσας εἶπεν· λάβετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτό μού ἐστιν τὸ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, καὶ πὶς ἔχα ἷμα τοῦ Κυρίου ἐστὶν, ἀλλὰ τῆς ἀμπέλου. *Collectionis novae Patrum & Scriptorum Graecorum D. Bernardi de Montfaucon. Tom. 2. pag. 18. Quâ auctoritate nulla contra Tranſſubſtantiationem certior afferri poteſt.*

Saxonicam discat, antequam de re sibi planè incognita temerè quidquam pronunciet: aut si gravioribus occupationibus pressus id refugit, Lexicon saltem Somneri consulat, & intelliget, si quidem aliquid in tanta pervicacia intelligere potest, (1) *Ælfrici* nomen merè Anglo-Saxonicum esse, idemque quod Graecè Ἐλευθέριος, aut Latinè *Liberius* significare.

Commodum haec scripseram, cùm aliud agens, & Georgii Hickesii, viri eruditissimi, Linguarum Septentrionalium Thesaurum evolvens, fortuitò incidi in hujusce Harduïni loci refutationem uberrimam, & omnibus numeris absolutam. Eam hîc adscribere non verebor, tum propterea quòd nemo magis in hujuscemodi Antiquitatibus audiendus est, quàm illi, qui in eis illustrandis & eruendis aetatem triverunt, tum quòd futurum suspicor, ut ob caritatem & raritatem operis, in paucorum manus liber omni memoriâ & commendatione dignus perveniat. Haec sunt ergo verba viri incomparabilis, quibus summa cum eruditione, nec minore modestia castigat Harduïni ignorantiam & temeritatem.

„(2) Specimina nonnulla dedimus erro-
„rum,

(1) *Ael. Totus. Fric. liber.* (2) *Georgius Hickesius in Praefatione, pag.* XXIII. XXIV.

„ rum, in quos lapsi sunt viri doctissimi, qui
„ veteres Septentrionales linguas, aut planè
„ nullas, aut non omnes, aut si fortè ali-
„ quam, eam tamen non satis bene, intel-
„ lexerunt. . . . . Horum primas
„ tenet operibus suis inter doctos clarus JO-
„ HANNES HARDUÏNUS, qui in
„ *pagg.* 34. 35. *Chronologiae* suae *Veteris Te-*
„ *stamenti*, quae Amstelodami edita erat an.
„ MDCC. sic de *Anglo-Saxonica* nostra scri-
„ bit: *At* Saxonica, *quae in quibusdam dubiae*
„ (*ut* Coptica) *fidei monumentis extat, nihil*
„ *aliud quàm* Germanica illius aevi est, quo
„ *sunt haec* (Coptica (1)) *exarata characteri-*
„ *bus ab artifice excogitatis, diversis certè ab his,*
„ *quibus* OFFA REX *suos olim nummos inscri-*
„ *psit; qui sunt omnino Latini, quales ii, quibus*
„ *id nomen hîc exhibemus. Ejus autem linguae*
„ *est* Saxonica Ælfrici *nomine homilia de* Eu-
„ charistia, Ratramni *sensu, stylo, atque ipso*
„ *subinde sermone conscripta, hoc est*, haeretico.
„ *At* Ælfricus *non* Anglicum Saxonicumve
„ *nomen est*, sed Hebraeum DEUS RE-
„ DEMTOR. Nam אֵל Deus *est*; quod no-
„ men, *quoniam nihil interest, utrum* Æl *an*
„ Al *efferas, ideò &* ÆLFRICUS, *&* AL-
„ FRICUS *in libris scribitur.* פָּדָה redimere *est*
„ *ex Vulgato Interprete*, *Psalm.* CXXXV. 24.
„ *quem*

(1) *In parenthesi* (Saxonica) *omnino legendum est.*

„ *quem tum ob peritiam viri ſingularem, tum*
„ *aliis de cauſis, talium nominum architecti ſe-*
„ *quuntur.*

„ In *Harduini* iſtis tot ferè ſunt errores,
„ quot lineae. Primò enim *Gallus* iſte in Bi-
„ bliothecis noſtris hoſpes in hoc fallitur,
„ quòd *Anglo-Saxonicam* nonniſi in paucis
„ quibuſdam monumentis extare putet; cùm
„ contra ingentem *Codd.* MSS. numerum, ut
„ illos, qui impreſſi ſunt, ſilentio tranſeam,
„ *Grammatica* noſtra *Anglo-Saxonica*, & *Diſ-*
„ *ſertatio* epiſtolaris ſupereſſe oſtendat, quos
„ *Harduinus*, cùm Indicem tertium perlu-
„ ſtraverit, praeproperam hanc cenſuram
„ ſuam protinùs retractabit. Secundò au-
„ tem in illo fallitur, quòd monumenta no-
„ ſtra *Saxonica* dubiae fidei eſſe ſcribat. Et-
„ enim extare apud nos & dubiae fidei, &
„ commentitia quaedam monumenta *Saxoni-*
„ *ca*, praeſertim *chartas*, ſive *diplomata*,
„ adeò non negamus, ut quae id genus aut
„ ſunt, aut eſſe cenſemus, in opere noſtro
„ paſſim notaverimus: quod & Wanleyus
„ noſter in *libb.* Sax. catalogo; in quo etiam
„ alia occurrunt quàm plurima exploratae fi-
„ dei notaeque praeſtantiſſimae, ad quae do-
„ ctum hunc virum mittimus. Tertiò in eo
„ errat, quòd monumenta A. S. omnia ejuſ-
„ dem aevi cum Copticis affirmet; ſi quidem

„ nonnullos *Codd. Saxonicis* characteribus ha-
„ bemus ante annos DCCCC. ſcriptos, quo-
„ rum nonnullos in Grammatica *Anglo-Sax.*
„ citavimus, ut *Codd.* Evangeliorum *Rush-*
„ *worthianum* & *Cottonianum* verſionibus *Da-*
„ *no-Saxonicis* interlineatos; Codicem Bibl.
„ Bodl. Oxon. cujus nota NE. D. 2. 19. è
„ quo ſpecimina veteris manûs *Saxonicae*,
„ quae apud Anglos ante Æltridi Regis tem-
„ pora in uſu erat, exhibuimus pag. 168.
„ Codicem *Philippi Presbyteri*, cujus ſpeci-
„ men dedimus pag. 176. Denique, qui
„ mille annorum antiquitatem ſpirat, Codi-
„ cem *Evangg.* Eccleſiae Licetfeldenſis, li-
„ brum *S. Ceadae* dictum, cujus ſpecimen
„ Grammaticae Franco-Theotiſcae pag. 2.
„ videre eſt expreſſum; praeter alios, quos
„ *Humphr. Wanleyus* in Catalogo ſuo notavit.
„ Qui quidem *Codd.* omnes, cum caeteris
„ tive genuinis, ſive ſpuriis, qui temporibus
„ *Anglo-Saxonum* diverſi generis, & non
„ unius ſeculi manibus exarati ſunt, *Har-*
„ *duinum* quoque immanis, & tantùm non
„ ridiculi erroris arguunt, qui monumenta
„ *Saxonica*, quae pauca, quae dubiae fidei
„ eſſe praedicaverat, etiam characteribus ab
„ artifice pro arbitrio excogitatis ſcripta te-
„ merè, & abſque omni judicio non erubue-
„ rit affirmare. *Anglo-Saxones* autem ſcri-

„ ben-

„ bendi rationem ſuam, perinde ac ſuam
„ *Gallos*, habuiſſe, non uno loco obſervat
„ Hiſtoriae (1) *Croylandenſis* Auctor, qui ri-
„ tus & conſuetudines *Anglicanas*, quas *Nor-*
„ *manni* innovaverant, recenſens, ita ſcribit:
„ *Ipſum etiam idioma tantum abhorrebant* (Nor-
„ manni) *ut modus etiam ſcribendi Anglicus*
„ *omitteretur, & modus Gallicus in chartis &*
„ *in libris omnibus admitteretur.* Et alibi: *De-*
„ *tuleram etiam mecum Londonias, chartas &*
„ *chirographa, & praecipua monumenta noſtri*
„ *Monaſterii, quae cuncta manu Saxonicâ ſcri-*
„ *pta erant. Chartas etiam, - - - quae par-*
„ *tim duplicatè tam Gallicanâ manu, quàm Sa-*
„ *xonicâ ſcribebantur.* At pro arbitrio & in-
„ genio artificis excogitatas eſſe litteras *Saxo-*
„ *nicas* vult *Harduïnus*, quòd diverſae ſunt ab
„ his, quibus OFFA REX ſuos olim num-
„ mos inſcripſit, qui ſunt omnino *Latini.*
„ Quod ſi *omnino Graeci* eſſent, an igitur ſe-
„ quetur, & monumenta *Saxonica*, ſcilicet
„ diplomata, & codices ab eruditis *Anglo-*
„ *Saxonibus* eſſe ſcriptos characteribus ab ar-
„ tifice excogitatis? Membranae veteres
„ *Franco-Gallorum* ſcriptae ſunt litteris longè
„ diverſis ab iis, quibus numiſmata eorum
„ inſcripta ſunt; an (2) igitur characteribus

 „ in-

(1) *At hunc Auctorem procul dubio Archontianis adjunget Harduïnus.* (2) *Hoc facilè conceſſerint Germonii & Harduïni Sodales.*

„ incertis, & pro arbitrio artificis excogita-
„ tis exaratae ſunt? Verùm quártò in eo er-
„ rat *Hardiinus*, quòd *Offae Regis* nummos
„ litteris inſcriptos dicit, quae *omnino Latinae*
„ ſunt. Tantum enim abeſt, ut omnino *Lati-*
„ *nae* ſint; ut ductum paulò diverſum habeant
„ ab iis, quae omnino ſunt Latinae, ſpeciem
„ prae ſe ferentes invenuſtam, à majuſculis
„ iſtius aevi Latinis, etſi non planè abhorren-
„ tem; planè tamen haud parum alienam.
„ Quòd *Ælfrici* homiliam *Paſchalem*, *Saxoni-*
„ *cè* ſcriptam, haereticam iniquè vocat, id
„ non moror, quippe qui non ut Theologus,
„ ſed ut *Saxonicae* Linguae Praeceptor, hîc
„ cum illo controverſiam habeo. Verùm
„ cùm ÆLFRICUM non *Saxonicum*, ſed
„ Hebraeum nomen eſſe dicit, eo ſe deri-
„ dendum omnibus propinat, qui *Saxonicis*,
„ *Franco*-Theotiſciſve litteris eruditi, ſciunt
„ *Ælfricum* (haud ſecus ac *Ælfredum*, vel
„ *Alvredum*, *Alricum*, *Alredum*, *Albertum*,
„ *Alvinnum*, cum id genus aliis) eſſe nomen
„ propium *Saxonicae* originis, non *Ælfrico*
„ Homiliſtae, Archiepiſcopo Cantuarienſi,
„ ab aliquo nominum architecto ob peritiam
„ viri ſingularem inditum; ſed illi cum aliis
„ *Anglo-Saxonibus* commune: ut *Ælfrico*,
„ cui cognomen *Bata*; *Ælfrico*, Merciorum
„ Duci; *Ælfrico*, Eaſt-Anglorum Epiſco-
„ po;

„ po ; & *Ælfrico* , Archiepiſcopo Ebora-
„ cenſi. „

Hactenùs vir eruditiſſimus , qui admodum parum abfuit , quin ea nobis eriperet , quae de Euſebio Caeſarienſi modò dicturi ſumus. Rem ſanè vidit clariſſimus Hickeſius in illa paragrapho , quae ſuprà deſcripta proximè conſequitur ; ſed aliò properans , aut aliquid arcanum latere arbitratus eſt ſub aenigmatico dicendi genere , quod Harduïno perquam familiare eſt , aut otio ſuo in explicandis hujuſmodi ineptiis abuti noluit. Nos rem totam clarè demonſtrabimus , & impoſitam Euſebio larvam detrahentes , execrabile Harduïni facinus cenſurae & indignationi eruditorum ſubjiciemus. Id quale ſit , propoſitis & expenſis Harduïni verbis , facillimè intelligetur. „ Fuit (1) [inquit inanis „ noſter conjector , non praeter ſolitum plus „ juſto ſuſpicioſus] & aliud interdum his ar- „ tificibus paulò diverſum fraudis genus ; de „ quo obiter admonere , operae praetium „ fuerit ; cùm unâ ſcilicet litterulâ immutatâ , ad diſſimulandam malitiam , voces „ ignotas interdum confingerent. Quod eſt „ à nonnemine in primis praeſtitum ; cujus „ librum ante annos ſex didicimus manuſcriptum alicubi aſſervari , ſub ementito no-

 „ mine

(1) *Chronologia Veteris Teſtamenti , pag.* 35.

„ mine Ἀσιδαίου, cùm Scriptor sit saeculi „ XIII qui postquam captum à Francis By- „ zantium est, in Galliam appulit; ubi eo- „ dem, quo Calviniani hodie aguntur, adver- „ sus sacrum Episcoporum ordinem, odio agi- „ tatus; ac praesertim in eos, qui titulos quos- „ dam habent in Galliis honorum ac dignita- „ tum illustrium, scripsit eos multò delectari „ magis Δουκεναρίῳ, quàm Episcopi nomine. „ Quo de vocabulo interrogati, amico con- „ sulenti patefecimus hominis improbitatem; „ qui ne statim ea pateret, mutatâ litterâ * „ in proximam consonantem ν, pro voce „ Gallica ex duabus conflatas, ΔΟΥΚΕ- „ ΠΑΡΙΟΣ, (*Duc & Pair*) scripsit Δουκε- „ νάριος.

„ Verùm, pergit Harduinus, digredi- „ mur ipsi ab instituto longius, abripimur- „ que intempestivo fortassis studio impias „ fraudes in publicam lucem protrahendi. „

Quod hîc de Manuscripto nugatur, & de Scriptore, cui nomen fuerit Asidaeo, id to- tum ingenti audaciâ, & malitiâ incredibili confictum est, ut Eusebii Caesarienſis, qui Historiae veteris Ecclesiasticae praecipuus & ferè unicus Scriptor audit, fides elevaretur. Quod sanè permagni referri Harduino & gregalibus ejus visum est; facilius namque diruris fundamentis totius aedificii moles, ip-

saque

saque fastigia labascunt. Id tamen palam aggredi periculo non carere viderunt; personatum ergo Eusebium in scenam adduxere, ut sub larva latens celeberrimus Scriptor, tanquam incognitus ludibria experiretur, systemati Archontiano, paratis aliquando rebus, magno usui futura. Sub Ἀσιδαίῳ ergo nomine Eusebius Caesariensis hîc latet, cujus Opera, inter quae Historia Ecclesiastica eminet, non Manuscripta modò, verùm etiam saepius edita eruditorum manibus ubique teruntur. חָסִיד Hasid, vox Ebraïca, cui Graeca εὐσεβὴς respondet, satis aliàs celebrata mutuis doctissimorum virorum, Johannis Drusii & Nicolai Serrarii contentionibus, ideonea visa est Harduïno, quae celando Eusebio larvam suppeditaret; ita (1) enim Sibyllicè loqui amat vir prudentissimus, ubi praesertim periculi nonnihil subesse arbitratur. Verùm jam è latebris suis extractus est, facili negotio confutandus. Ergo, quicunque is fuit, qui sub Ἀσιδαίῳ nomine posteritati suppositit Eusebium Caesariensem, Graeculus procul dubio de deteriore nota, *eodem, quo Calviniani hodie aguntur, adversus sacrum Episcoporum ordinem, odio agitatus, stripsit, eos delectari magis* Δεκεναρίῳ, *quàm Episcopi nomine.* Quae verba nemo intelliget, nisi ex Histo-

(1) *Chronol. Vet. Test. pag.* 153.

riae Euſebii Eccleſiaſticae libro ſeptimo enim locum adſcripſerimus, quem hîc Harduinum in animo habuiſſe certiſſimum eſt. Sic itaque Antiochenae Synodi Patres, Paulum Samoſatenum, hominem, ut videtur, nequam, & noſtri aevi quorumdam Epiſcoporum ſimillimum, Euſebio referente, deſcripſerunt: „ (1) Ὅπως δὲ ἀποστὰς τῆς καινοῦ ἐπὶ „ κίβδηλα καὶ νόθα διδάγματα μετελήλυθεν, ἴδοι „ δεῖ τὸν ἔξω ὄντος τὰς πράξεις κρίνειν· ἴδοι ὅτι πρό- „ τερον πένης ὢν καὶ πτωχὸς· καὶ μήτε πολλοὶ πατέ- „ ρων πολυλαβὰν μηδεμίαν εὐπορίαν· μήτε ἐκ „ τέχνης ἤ τινος ἐπιτηδεύματος κτησάμενος, νῦν „ εἰς ὑπερβάλλοντα πλοῦτον ἐληλακεν, ἐξ ἀνομιῶν „ καὶ ἱεροσυλιῶν, καὶ ὧν αἰτεῖ καὶ σείει τοὺς ἀδελ- „ φοὺς καταβραβεύων τοὺς ἀδικουμένους καὶ ὑπαρ- „ χοῦσιν βοηθήσειν μισθοῦ· ψευδόμενος ὃ καὶ „ τούτους, καὶ μάτην καρπούμενος τὴν τῶν ἐν πράγ- „ μασιν ὄντων ἐπιμέλειαν πρὸς τὸ δοῦναι ὑπὲρ „ ἀπαλλαγῆς τῶν ἐνοχλούντων· πορισμὸν ἡγούμενος „ τὴν θεοσέβειαν· ἅτε οὐκ ὑψηλὰ φρονεῖ καὶ ὑπε- „ ρῆρται κοσμικὰ ἀξιώματα ὑποδυόμενος· καὶ „ ΔΟΥΚΗΝΑΡΙΟΣ μᾶλλον ἢ Ἐπίσκοπος „ θέλων καλεῖσθαι· καὶ σοβῶν κατὰ τὰς ἀγορὰς· „ καὶ ἐπιστολὰς ἀναγινώσκων καὶ ὑπαγορεύων ἅμα „ βαδίζων δημοσίᾳ καὶ δορυφορούμενος· τῶν μὲν „ προπορευομένων, τῶν δὲ ἑπομένων πολλῶν

„ τὴν

(1) *Euſebii Eccleſiaſticae Hiſtoriae, lib.* VII. *cap.* 30. *pag.* 280.

„ τὸν ἀριθμὸν· ὡς καὶ τὴν πίστιν φθονεῖσθαι καὶ
„ μιστεῖσθαι διὰ τὸν ὄγκον αὐτοῦ καὶ τὴν ὑπερηφα-
„ νίαν τῆς καρδίας· ὅτε τὴν ἐν ταῖς ἐκκλησια-
„ στικαῖς συνόδοις τεραλείαν, ἣν μηχανᾶται δοξο-
„ κοπῶν καὶ φαντασιοκοπῶν· καὶ τὰς τῶ ἀκεραιο-
„ τέρων ψυχὰς τοῖς τοιούτοις ἐκπλήττων· βῆμα
„ μὲν καὶ θρόνον ὑψηλὸν ἑαυτῷ κατασκευασά-
„ μενος, οὐχ ὡς Χριστοῦ μαθητὴς, σήκρητον δὲ,
„ ὥσπερ οἱ τοῦ κόσμου ἄρχοντες, ἔχων τε καὶ ὀνο-
„ μάζων, κ. τ. λ. Hoc eſt, ex Henrici Valeſii interpretatione Latina: „ *Sed quo-*
„ *niam à fidei regula recedens, ad ſpuriam &*
„ *adulterinam doctrinam ſe tranſtulit, homi-*
„ *nis ab Eccleſia alieni actus examinare nihil at-*
„ *tinet: neque quòd cùm anteà pauper ac men-*
„ *dicus eſſet, nec ullas omnino facultates aut à*
„ *parentibus relictas accepiſſet, aut artis ullius*
„ *exercitio ſibi comparaſſet, nunc ad incredibi-*
„ *lem opulentiam pervenit, per ſcelera ac ſacri-*
„ *legia, fratrumque concuſſiones: dum injuriâ*
„ *affectos decepit, promittens quidem ſeſe illis ac-*
„ *ceptâ mercede opem laturum; fallens autem*
„ *ipſos, & ex facilitate litigantium, qui ut ne-*
„ *gotio liberentur, quidvis dare parati ſunt, lu-*
„ *crum inaniter captans; & pietatem quaeſtum*
„ *eſſe exiſtimans. Neque quod faſtu & arrogan-*
„ *tiâ ſupra modum elatus ſaeculares geris digni-*
„ *tates, & DUCENARIUS vocari quàm*
„ *Epiſcopus mavult; per forum magnificè ince-*

„ *dens; Epistolas legens ac dictans inter ambulan-*
„ *dum palam ac publicè; stipatusque maximâ ho-*
„ *minum multitudine, partim praeeuntium, par-*
„ *tim subsequentium; adeò ut ex illius fastu &*
„ *arrogantia, incredibilis invidia odiumque mul-*
„ *torum adversus fidem nostram conflatum sit.*
„ *Neque item attinet examinare ambitiosam ho-*
„ *minis vanitatem in Ecclesiasticis conventibus,*
„ *quam omni studio consectatur; nihil aliud*
„ *quàm inanem gloriam captans, & pompam*
„ *affectans, atque hujusmodi artibus animos im-*
„ *periorum perterrefaciens. Nam & tribunal*
„ *& sublimem thronum, ut non Christi discipu-*
„ *lus sibi ipse construxit; & secretum perinde ac*
„ *saeculares magistratus, ita appellatum habuit,*
„ *&c.* „ Peream, si ullius hominis descriptionem unquam viderim, quae propius ad complures aevi nostri Episcopos accedat; maximè si ad ea attenderis, quae in Eusebio illa consequuntur, quae suprà adscripta sunt. Itaque Harduïnum si quo casu fieri posset ut bonâ fide scripsisse existimarem, nonnullâ rei evidentiâ impulsum hîc aberrasse arbitrarer. Nonnihil tamen obesset vox ea Δυνεύ-ω, quam levi mutatione Harduïnus ad systema suum accomodavit. Viderint, quibus per otium licebit illius aevi monumenta consulere, an jam decimo tertio saeculo ineunte, Ducis & Paris Franciae, non dignita-

nitatem dico, ſed titulum Epiſcopi uſurpaverint. Verùm hîc res noſtra non agitur, quam ideò aliis diſquirendam relinquimus. Quod ad illam Δουκεναρίς dignitatem ſpectat, de qua ab Auguſto Caeſare inſtituta, multa mentio eſt in Scriptoribus cùm antiquis, tum recentioribus, Graecis aequè ac Latinis; non deſunt Inſcriptiones, [quod monumentorum genus Harduïnus non repudiabit, ſi dictorum memor erit] quibus ea poteſtas illuſtretur. Unam & alteram è pluribus huc afferemus, quòd & ad tempora, & ad Dioeceſim Pauli Samoſateni quàm proximè accedant, ut nullus ſuperſit Harduïno in re manifeſta & perſpecta tricandi locus.

Inſcriptio Palmyrena in Curia magna.

CEΠTIMION ΘΥΟΡΩΔΗΝ ΤΟΝ ΚΡΑΤΙCΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ CEBACTOY ΔΟΥΚΗΝΑΡΙΟΝ ΚΑΙ ΑΡΟΑΠΕΤΗΝ ΙΟΥΛΙΟΣ ΑΥΡΗΛΙΟC ΕΑΛΜΗC ΚΑCCΙΑΝΟΥ ΤΟΥ ΜΕΛΕΝΑΙΟΥ ΙΠΠΕΥC ΡΩΜΑΙΩΝ ΤΟΝ ΦΙΛΟΝ ΚΑΙ ΠΡΟCΤΑΤΗΝ ΕΤΟΥC ΗΟΦ . . . . . ΜΗΝΕΙ ΞΑΝΔΙΚΩ.

Alia Inſcriptio, eodem loco inventa, in magna Curia Palmyrae.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ CΕΠΤΙΜΙΟΝ ΤΟΝ ΚΡΑΤΙCΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ CΕΒΑCΤΟΥ ΤΕΛΕΟΔΟΤΗΝ ΤΗC ΜΗΤΡΟΚΟΛΩΝΕΙΑC ΚΑΙ ΑΝΑΚΟΜΙCΑΝΤΑ ΤΑC CΥΝΟΔΙΑC ΕΞ ΙΔΙΩΝ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΗΘΕΝΤΑ ΥΠΟ ΤΩΝ ΑΡΧΕΜΠΟΡΩΝ ΚΑΙ ΛΑΜΠΡΟC CΤΡΑΤΗΓΗCΑΝΤΑ ΚΑΙ ΑΓΟΡΑΝΟΜΗCΑΝΤΑ ΤΗC ΑΥΤΗC ΜΗΤΡΟΚΟΛΩΝΕΙΑC ΚΑΙ ΠΑΕΙCΤΑ ΟΙΚΟΘΕΝ ΑΝΑΛΩCΑΝΤΑ ΚΑΙ ΑΡΕCΑΝΤΑ ΤΗΤΕ ΑΥΤΗ ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ ΤΩ ΔΗΜΩ ΚΑΙ ΝΥΝΕΙ ΛΑΜΠΡΟC CΥΜΠΟCΙΑΡΧΟΝ ΤΩΝ ΤΟΥ ΔΙΟC ΒΗΛΟΥ ΙΕΡΩΝ ΤΕΙΜΗC ΕΝΕΚΕΝ ΕΤ . . . . . ΞΑΝΔΙΚΩ.

Hoc eſt, ex interpretatione Latina Edwardi Bernardi, viri celeberrimi:

„ *Septimium Vorodam, excellentiſſimum Pro-*
„ *curatorem Auguſti,* DUCENARIUM *&*
„ (1) *Ductorem, Julius Aurelius Salma* (2), *Caſ-*
„ *ſiani*

(1) *Habentur illae Inſcriptiones in Appendice libri Anglici, cui titulus eſt:* The Antiquities of Palmyra. *Londini*, 1696. *in* 8. *pag.* 166. *&* 167. *Item in* Inſcriptionibus Palmyrenis. *Trajecti ad Rhenum*, 1698. *pag.* 5. 6. *&* 13. (2) *Legit ex conjectura Bernardi*, ΑΡΧΑΓΗΤΗΝ *&* CΑΛΜΗC.

„ſiani Melenaei, eques Romanus, amicum „ſuum ac patronum. Anno DLXXVIII. „menſe Xanthico.

„Senatus Populuſque Septimium, excellen„tiſſimum Procuratorem Auguſti, DVCENA„RIVM, à tributo coloniae praecipuae, qui „comitatus proprio ſumtu excepit, & à merca„torum primariis probatus eſt, & praeclarè rem „egit, tam Ductor exercitûs quàm Praefectus an„nonae coloniae praecipuae, & plurimum opum „ſuarum publico impendit, beneque meruit de „Senatu ipſo ac Populo, atque hoc tempore epu„lorum & ſacrorum Jovis Beli princeps eſt, ho„noris cauſâ poſuerunt, anni . . . . . menſe „Xanthico.„

Hîc ergo eam vocem habemus Procuratoris DVCENARII, quam dignitatem Paulum à Zenobia, Regina Palmyrenorum, acceptam habuiſſe veroſimillimum videtur. Favit enim Pauli erroribus fortiſſima matrona, quae Judaïſmum amplexa erat,(1) Athana-

 ſio,

(1) *Athanaſius, tom.* 1. *pag.* 386 *ed. Pariſ.* 1698. Ἰουδαία ἦν Ζηνοβία, ᾗ Παύλῳ πρόκειτο τῷ Σαμοσατεῖ? Judaea erat Zenobia, & Pauli Samoſatenſis patrona. *Item in Collectione nova Patrum & Scriptorum Graecorum, tom.* 2. *pag.* 20. *in fragmento Athanaſii de Paulo Samoſatena:* προέστατο δὲ αὐτῷ Ζηνοβία Ἰουδαΐζουσα: Paulus autem Zenobiae Judaeae patrocinio tegebatur. *Theodoritus lib.* 2. *Haereticarum fabularum, cap.* 8. *pag.* 222. Paulus Samoſatenus . . . . Zenobiâ . . . . toparchiam

sio, Theodorito, Nicephoro Calliſto, & Abulfaragio teſtibus; nec poterat eas in Chriſtum, Dominum noſtrum, blaſphemias non probare, quae ad Judaïcam impietatem proximè accedebant. Hinc facilè intelligetur, cur inſigni laude Moſem ornaverit, in libro περὶ ὕψους Dionyſius Longinus, flos & medulla aetatis ſuae Criticorum. Vivebat nimirum homo doctiſſimus in comitatu illius Reginae, quam litteras Graecas docuiſſe narratur; in cujus etiam contubernio ad ulteriorem fortè Moſaïcae Legis cognitionem pervenit, & ingentes eas animi dotes in Legiſlatore Judaeorum admiratus eſt, quas hodie quidam, qui ſe Chriſtianos dici volunt, verbis extenuare conantur. Miratus ſum ſaepe, quî doctiſſimo (1) Baelio venerit in mentem, de Judaïſmo Zenobiae dubitare, eaque in Athanaſii teſtimonium aſpernari. Verùm fraudi fuit homini, qui aliàs in rebus hiſtoricis cautè admodum & prudenter calculos poſuit, contemtio ea, quae paſſim apud multos obtinet Patrum omnium, & veterum quo-

chiam obtinente, in Artemonis haereſim lapſus eſt, ταύτην νομίζων θρησκείαν ἐπιτήδειον τοῖς Ἰουδαίοις φρονοῦσαν, hanc ratione demereri eam ratus, quae eadem cum Judaeis ſentiebat. *Nicephorus Calliſtus, Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 27. pag. 420. Theodoriti verba exſcripſit.*

(1) *Bayle, Dictionnaire Critique, tom. 3. pag. 3056. col. 1. in notis.*

quorumcunque Ecclesiæ Christianae monumentorum. In eo prorsus longè major Athanasio fides haberi debet, quàm in re quavis alia Eutropio aut Zosimo haberetur, Scriptoribus alienis à sacris Christianorum, & qui diu post Athanasii tempora vixerunt, in quorum tamen testimoniis acquiescerent & ipse Baelius, & ii, quorum placita frequentius quàm par erat, elegantissimus Scriptor sequutus est; cùm tamen eorum invidiam, quam metuere videbatur, nimiâ in multis facilitate suâ, effugere non potuerit.

At digressi sumus à proposito, nonnullâ ad id faciendum necessitate impulsi. Tempus est, ut iis, quae de *Ducenariis* nobis dicenda erant, colophonem imponamus. Stabit ergo illaesa Eusebii auctoritas, nisi fortè Harduinus somniet, homines aliquot ex Archontii Schola Palmyram usque excucurrisse, eâque perlustratâ, ex superioribus & aliis ejusmodi Inscriptionibus, totam Pauli Samosateni fabulam in invidiam aetatis suae Episcoporum ementitos; eam deinde, sub nomine Eusebii litteris mandasse: quae etsi sunt oppidò ridicula; nihil tamen, etiam si concessa erint, Harduinum juvabunt; haud enim cum iis, quae suprà attulimus, ullâ unquam ratione conciliabuntur.

Non ergo abs re addidit Harduinus ea, quae

quae ſequuntur, jam ſuprà allata, ſed quae hîc oculis Lectorum iterum objicienda judicavimus: (1) *Verùm digredimur ipſi ab inſtituto longius, abripimurque intempeſtivo fortaſſis ſtudio impias fraudes in publicam lucem protrahendi.* Ne ſibi blandiatur Harduïnus; quicquid ipſe, quicquid ejus contubernales, aut ſequaces, gregales, aut diſcipuli hac in re molientur, id toti Societati Loiolitarum neque utile erit, neque honorificum; & ſi quâ forte homines bardos iis in Provinciis, in quibus omnia poſſunt, ad ſuas partes adduxerint; erunt tamen alibi, qui contra nefarias novitates veritatem tuebuntur; nec impias Societatis *fraudes tempeſtivè* unquam *in publicam lucem protrahi* patientur.

Expoſitâ propemodum praecipuâ parte omnium Harduïni & *impiae Synagogae*, cui mancipatus eſt, technarum; jam cetera leviori brachio attingam. Hoc unum obiter monuiſſe ſufficiat, nullas unquam Harduïno adduci Patrum, aut veterum quorumvis Scriptorum auctoritates, quin eas parum honorificâ praefatione extenuet, (2) quod ſingulis

(1) *Chronologia Vet. Teſt. pag.* 35. (2) *Vide de Hieronymo, pag.* 48. *De Cyrillo, Theophane, Landulpho Sagaci ſuprà. De Greg. Naz. pag.* 50. *De Auguſtino, pag.* 75. *De Juliano Toletano, pag.* 83. *De Suetonio ſuprà & hîc, pag.* 77. *de Dionyſio Halicarnaſſeo.*

lis ferè paginis apud eum facillimè obſervabunt, qui eo labore defungi volent. Praeteribo itaque fanatica commenta, quibus inſurgit in Canonem Regum Aſſyriorum & Medorum (1) è Ptolomaei Manuſcripto codice à Setho Calviſio editum: iiſdem enim nugis innituntur, de quibus ſuprà in Ægyptiorum Dynaſtiis egimus, & prae inſipientia ſua nemini, ni fallor, arridebunt. Praetereà ſe earum rerum Hiſtoriam in aliud tempus differre profitetur, (2) *quo proferatur in lucem, quid horum nominum architecti ſpectarint.* Utinam à tot annis, quot fluxere poſtquam haec edita ſunt, promiſſis ſtare voluiſſet Harduïnus! haud enim aliàs facilè divinabitur, quî factum fuerit, ut inimici Divinitatis Domini noſtri, Jeſu Chriſti, id unum viſi ſint ſtudere, ut eam ubique locorum inculcarent. Haud ſanè probaverim ea in re viri cujuſdam ingenioſiſſimi conjecturam, qui cùm nuper unà inter nos de audacibus Harduïni ineptiis fabularemur, eam in ſententiam ſe ire profeſſus eſt, ut exiſtimaret, eadem moliri Harduïnum, quae de Auguſtano Apoſtata, Moſe German, ſuprà attulimus. Afferebat ei opinioni ſuae confirmandae

naſſeo, Strabone, Stephano, Ptolemaeo, pag 91. De Beda, pag. 124. De Thucydide, pag. 152. De aliis alibi paſſim.

(1) *Chronologia Vet. Teſt. pag. 75.* (2) *Ibidem.*

mandae non leve argumentum, rationem videlicet agendi & antiquos Scriptores inficiandi utrinque ſimilem. Philoni praeſertim infenſus erat Auguſtanus Apoſtata, cujus ſcripta in Gallia conficta fuiſſe comminiſcebatur, & Conſtantini temporibus longè inferiora exiſtimabat. Admittebat namque non unam & illè Synagogam, Philonique nomen à Gallica voce *Filou*, quae *nebulonem* ſignificat, inditum fuiſſe ſomniabat. Praetereà eandem planè viam conſectabatur, quam Harduïnus in eruendis etymologiis, ut exemplo ſequenti liquebit, quod ex Manuſcripta ejus Epiſtola deſcripſi, quam ſuprà laudatus Wachterus mecum amicè communicavit: „Æſculapius, inquit Moſes ille German, „eſt ipſe Noah, ſic dictus ab Hebraeo „יין quod *uvam* ſignificat, & Graeco „ποιέω, id eſt, *facio*, quaſi dicas, *vitiſi*„*cator*.„ Complures ejuſmodi etymologias proferre poſſem ex miſerrimi Apoſtatae Epiſtolis & adverſariis, unde confirmaretur illa ſuſpicio, quam modò memoravi. Sed abſit à me, ut talia de Harduïno in mentem inducam; cujus temeritatem, quam ſatis alioqui damnare non poſſum, cum tali impietatis nota conjunctam credere nolim. Habeat ergo ſibi conjecturam ſuam vir ille eruditus, & Harduïni inſtar *plus juſto ſuſpicioſus*: ca-

veat

veat tamen, si quid mihi crediderit, ne ἀμετρείᾳ τῆς ἀνθολκῆς peccet, & Harduïno eam sententiam affingat, quam ille ex animo detestetur.

Porro jam nobis ad initia furtorum Harduïni deventum est, quo in loco amplissimus sanè campus patet; sed in quo exspectari non patitur ea brevitas, quam nobis ab hujus Dissertationis initio proposuimus. Ut enim taceam, non primum omnium Harduïnum vidisse, Herodotum in assignanda Assyriorum aetate ceteris omnibus meritò esse anteponendum, & id argumentum vel ab uno Hermanno Conringio jam dudum in Adversariis Chronologicis diligentissimè fuisse pertractatum; tam multa sunt, quae ab eodem Conringio & compluribus aliis desumsit, ut observationum infinitate obruerer, si singulis immorari vellem. Miram consensionem esse Herodoti cum Sacris Litteris in iis, quae retulit de (1) Sennacheribo, & de initiis Regni Medorum, jam observaverat Conringius capite tertio Adversariorum Chronologicorum, quem hîc sequitur Harduïnus, etsi, pro more suo, ne semel quidem ejus testimonio usus sit. Eundem etiam secutus est in iis, quae de (2) Sardanapalo scripsit, licet hoc loco leviculâ & nullius momenti muta-

(1) *Chronol. Vet. Test. pag.* 88. (2) *Ibid. p.* 89.

mutatione plagium ſuum celare curaverit. Quae praeterea habet de Phraorte, Dejocis filio, (1) quem Arphaxadem illum eſſe conjicit, de quo in libro Judith tam mira narrantur, ea Conringius addito eodem Herodoti teſtimonio, cui Harduïnus innititur, in caput quartum Adverſariorum Chronologicorum retulerat, ubi legi poſſunt, pag. 153. editionis Graevianae. At palmarium credi vult Harduïnus inventum ſuum in celeberrimo Herodoti loco mirè admodum cum Sacris Veteris Teſtamenti Codicibus conſentiente. Ejus verba adſcribere operae pretium putavimus: rem enim pulcherrimam continent, & quod fatendum eſt, egregiè, etſi praelucentibus aliis, ab Harduïno illuſtratam. Haec ergo habet, poſtquam ex Libro II. Regum, cap. XXIII. victoriam Pharaonis Nechaonis, in qua Joſias interfectus eſt, retulit: „ (2) Refert eadem Hero-
„ dotus, lib. 2. pag. 272. ubi de Neco,
„ Ægypti Rege: *Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς*
„ *συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε· μετὰ δὲ τὴν*
„ *μάχην Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίας ἐοῦσαν μεγά-*
„ *λην εἶλε: Terreſtri autem acie congreſſus cum*
„ *Syris in Magdolo vicit; & poſt praelium, Ca-*
„ *dytin, magnam Syriae urbem, cepit.* Nam
„ Cady-

(1) *Chronologia Vet. Teſt. pag.* 92. (2) *Ibid. pag.* 98.

„ Cadytis ipsa est Jerusalem; quam defor-
„ mato vocabulo sic repraesentat; quoniam
„ à Syris Palaestinis non eam aliter audiit ap-
„ pellari, quàm Sanctam Civitatem עיר
„ הקדש: & in fine vocabuli illius appositum
„ fuisse ab Hebraeo Scriptore, quo Herodo-
„ tus utebatur, ת pro ש: eò quòd non
„ modò sonum eae litterae apud Hebraeos
„ saepe in fine permutant; verùm etiam Chal-
„ daei pro ש Hebraeo ponunt ת; ut in תקל
„ pro עקל; non dubitabunt ii, qui Hebraicè
„ nôrunt. De ea ipsa urbe Cadyti rursum
„ Herodotus, libro 3. pag. 184. „ Haec Harduinus, cui egregia observatio meritò placuit; laudandus sanè, si eam ad suos Auctores retulisset. At ille suam, quod sanè laudari non potest, haberi voluit, ut manifestò ostendunt haec ejus verba, ex alio loco Chronologiae Veteris Testamenti: (1) *Quemadmodum* (Herodotus) *cùm à Judaeis posceret, et quodnam urbis Hierosolymitanae nomen esset, pro ipso nomine cognomen audiit* HIR HAEODESCH, *hoc est, Urbs Sancta, & nobis ille deinde Cadytin non semel obtrusit; quod vocabulum vix quisquam absque Oedipo intelligat esse pro Hierosolymis positum.* At, ô bone, si quo Oedipo opus fuit in eo aenigmate solvendo, cur eos Scriptores non agnoscis,

per

(1) *Chronol. Vet. Test. pag.* 125.

per quos profeciſti, arrogaſque tibi non ſatis pudenter alienorum inventorum laudem? Nihil certè huc Harduïnus attulit, quod ſuum eſſet. Jam Herodoti narrationem cum Sacri Scriptoris loco contulerat (1) Joſephus Scaliger in Animadverſionibus ad Euſebium, idemque poſt eum obſervaverat Conringius cap. XV. Adverſariorum Chronologicorum, Cadytimque ipſam, urbem Hieroſolymorum eſſe conjecerat. Denique rem planè confecerat Joannes Lightfoot (2) in Decade Chorographica, Horis Hebraicis in Evangelium Marci praemiſſa, qui poſtremus ſanè eſt Oedipus ille, quo in ſolvendo Herodoti aenigmate Harduïnus uſus eſt, Scriptor ipſi aliàs valde familiaris, à quo quicquid Ebraiſmi habet, (3) non mutuum capit, ſed manifeſtò furatur. Conringium praetereà multis aliis in locis compilavit Harduïnus; ut in iis, quae de Pharaone Aprie ex Jeremia & Herodoto attulit: etſi à viro doctiſſimo nonnihil in hoc loco diſcedat, contra manifeſtam Sacrae Scripturae fidem; ne videlicet Herodotum in re non ita magni momenti memoriâ aut ignorantiâ lapſum eſſe fateatur.

Verùm

(1) *Scaliger in Animadverſ. ad Euſeb. pag.* 85. *col* 1 (2) *Operum Tom. II. pag.* 408. 409. (3) *Vid. Philipp. à Turre de Mithra, pag.* 234.

Verùm quid opus eſt mirari, Scriptores eos, quos Harduïnus Haereticos vocat, rapaces ejus manus effugere non potuiſſe? Ne ipſi quidem Petavio, viro incomparabili, Sodali praetereà ſuo, pepercit. Emendaverat Petavius ſolerter, ut plerumque ſolitus fuit, locum Plinii è libro XI. depravatum, quem hîc ex editione Flexienſi prima, quae ſola ad manus eſt, repraeſentandum judicavi: *Id* (1) *quod excluſum eſt, ait,* (Plinius, ubi de Apibus loquitur) *primùm vermiculus videtur candidus, jacens transverſus, adhaerenſque ita ut paſcere videatur.* QUAE POSTREMA VERBA INTELLIGIT, OPINOR, NEMO. CORRIGO ITAQUE, UT PARS CERAE VIDEATUR. Emendationem certè egregiam ita convertit in ſuos uſus prudentiſſimus Harduïnus, ut eam in recentiſſima Themiſtii editione, quam curavit, è Petavii Notis prorſus expungeret, (2) in Plinianis deinde Notis & Emendationibus, omiſſo Petavii nomine, tanquam Harduïnianum inventum apparaturam.

Infinitus eſſem, ſi reliquorum Harduïni plagiorum numerum hîc inirem, quorum immenſam prope copiam jam dudum obſervavi,

(1) *Petavius ubi ſuprà, pag.* 20. (2) *Harduïnus in Plinium, Tom. II. pag.* 614.

vavi, alibi fortè, si se dederit occasio, retegendorum.

Miratur Harduïnus, aut certè mirari se fingit, (1) *quî fiat, ut Dionysius Halicarnasseus è Caria, inter Herodoti pariter Halicarnassei, & Commodi ac Gordiani Augustorum interjectas aetates, nullum Joniſmi vestigium aut indicium prae se ferat; cum Herodotus ante Augustum annis quadringentis, ore ubique Jonico* Πυθαγόρην *&* Πυθαγορέω. *Commodi & Gordiani aetate nummi in eodem tractu scribant* Πυθαγόρης. Hac observatione suâ se celeberrimi veteris Historiae Romanorum, & artis oratoriae Auctoris fidem in dubium adducturum arbitratus. Frustra omnino. Liceat enim nobis, Harduïnum vicissim interrogare; quî fiat, ut Occitani & Aquitani in Gallia, linguâ, quae totius Regni communis est, non Provinciali suâ Dialecto libros edant in vulgus? Quî etiam factum sit, ut insigne illud foedus Smyrnaeorum & Magnesiorum, quod in Marmorum Arundellianorum editione primo loco legitur, communi Graecorum linguâ scriptum sit, nec ulla Joniſmi vestigia retineat, cùm tamen utramque civitatem ad Joniam pertinuisse constet? Ab Alexandri certè bellis, communem, aut si mavis, Atticam Dialectum ceteras omnes obscurasse constat:

(1) *Chronologia, pag. 91.*

conſtat : pauci enim, aut ferè nulli Scriptores ab iis temporibus occurrunt, qui reliquas Dialectos in ſcribendo uſurparint ; niſi fortè Doricae aliquis fuit uſus in Choris Tragoediarum, propterea quòd ea Dialectus ad harmoniam & cantica quaevis accommodatior eſſe videbatur. Ita enim, Jamblicho teſte, Metrodorus, Epicharmi filius, poſt Pythagoram & Epicharmum de ea Dialecto judicavit : (1) Τὴν δὲ Δώριον διάλεκτον ἐναρμόνιον εἶναι συνεσηκέναι ἐκ τῶν Φωνηέντων γραμμάτων : *Doricam verò ad harmoniae modulos compoſitam eſſe, quia ex litteris vocalibus conſtat* ; etſi neſcio quid obſcuritatis in ea meritò Porphyrius agnoverit : (2) Ἔχθσης, inquit, τι καὶ ἀσαφὲς τῆς διαλέκτου. Joniſmi certè poſt Alexandri Macedonis aetatem nulla fermè monumenta apparuerunt, niſi fortè quidam Scriptores exercitationis cauſâ, câ linguâ orationes aut προσλαλίας edidere ; quod in Luciani operibus obſervari poteſt ; qui etiam Callimorphi cujuſdam Medici non ſine ludibrio meminit, qui Jonicâ Dialecto uſus erat, in ſcribendis iis Parthorum bellis contra Romanos, quae geſta ſunt Marco Aurelio & Lucio Vero imperantibus. Aretam

(1) *Jamblichus de Vita Pythagorae, pag. 194. edit. Kuſteri.* (2) *Porphyrius de Vita Pythagorae, pag. 49. edit. Kuſteri.*

praetereà Medicum Cappadocem nôrunt eruditi, qui quarto aut quinto saeculo post Christum, Ἰατρικὰ sua eâ Dialecto edidit, nescio quibus de causis, nisi fortè, ut eâ qualicunque eruditionis ostentatione, familiarem sibi fuisse librorum Hippocratis lectionem comprobaret. Constat tamen aliunde, nullâ aliâ Dialecto usos esse illos, qui Graecos inter eruditi censebantur, quàm eâ, quae passim obtinuerat, sive Atticam vocare velis, sive communem; licet in nummis ad ostendendam fortè originem civitatum, veteres Dialecti frequentarentur.

Haud fuit ergo, quod huc Pythagoram afferret & Samios Harduïnus. Esto enim; habeat per nos licet Jonicam originem Pythagoras; in magna tamen Graecia diu vixit, id est, in vetustissimis Graecorum Coloniis, quarum plurimae Doricè loquebantur. Neque, puto, id inficiabitur Harduïnus, quod tot antiqua numismata contestantur; de (1) Crotona praecipuè, ubi Pythagoram fuisse diutius immoratum, narrant è vetustis Scriptoribus quicunque res ejus gestas memoriae mandaverunt.

Pythagoram autem paulò vetustiorem quàm

(1) *Vid. Prosperi Parisii Rara magnae Graeciae Numismata; ibi nummi Crotonensium ita inscripti sunt,* ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ.

quàm fuit ex Plinii ambigua lectione, exhibet Harduïnus eo loco conferendus omnino eruditis cum doctiſſima Exercitatione (1) Henrici Dodwelli de aetate Pythagorae. Nulla certè veteris Hiſtoriae pars eſt obſcurior iis, quae ad hujus viri aetatem & res geſtas attinent, quae nemini minus innotuerunt, quàm poſterioribus Platonicis, qui ea omnia, quae de Pythagora à vetuſtioribus Scriptoribus acceperant, ad placita Platonis accommodare ſtuduerunt, excogitatis eam in rem technis & fabulis, ut Religionem Chriſtianam, cujus incrementis angebantur, labefactarent. Pythagoram certè ſuperſtitioſi cujuſdam cultûs auctorem fuiſſe, potius crediderim, quàm Philoſophum; neque commodius, arbitror, ejus unquam ſcita explicabuntur, quàm ſi ab allegoria diſceſſeris, & ſimplicem ſententiam nullâ longè quaeſitâ interpretatione intelligas. Ita à fabis Pythagoras & ejus diſcipuli abſtinuerunt, iiſdem, puto, de cauſis, quibus ab animatis abſtinebant. Κυάμων enim nomine, à Graeca radice κύειν deducto, omne ſeminum genus intelligebant; à quibus etiam nunc abſtinent inter Indos ii, qui Pythagoricae ſimillimam religionem profitentur. Eadem, opinor, de cauſa à cepis abſtinuerunt, propterea videlicet, quòd in

(1) *Londini, in* 8. *anno* 1704.

ſeminibus & bulboſis radicibus neſcio quod vitae generationiſque principium latere videatur. Hanc eſſe Siamenſium ſuperſtitionem, teſtatur doctiſſimus vir, ſedulus rerum illius Regni explorator (1), Dominus de la Loubere. Obſervavit praetereà vir incomparabilis, D. (2) Caſſini, Regis Francorum Aſtronomus, civilem Siamenſium Epocham cum annis Pythagorae apprimè convenire; memorandumque planè eſt celeberrimi illius Xacae aetatem, cujus religioni Ceilanenſes, Peguani, Siamenſes, Cambodiani, Japanenſes, & plerique Sinenſium maneipati ſunt ad annum ſexageſimum quartum à Chriſto nato in harum gentium Annalibus referri; id eſt, ad ea fermè tempora, quibus Apollonius Tyaneus Indorum regiones perluſtraſſe narratur. Quae quidem omnia ſi vera ſunt, ut certè ſatis vero ſimilia apparent, haud aegrè intelligetur, cur Timon, non humani generis ille inimicus (ut joculari errore credidit (3) Andreas Dacier in Vita Pythagorae Gallicè ſcripta) ſed Phliaſius, Scriptor Sillorum, in Pythagoram his verſibus luſerit:

(4) Πυθαγόρην δὲ γόητα, ἀποκλίναντ' ἐπὶ δόξας
Θήρη ἐπ' ἀνθρώπων, στεμνηγόρίης ὀαρισήν.

Pytha-

(1) *Roiaume de Siam, Tom. I. pag.* 382.
(2) *Idem, Tom. II. pag.* 161. (3) *Pag.* 129.
(4) *Plutarchus in Numa, pag.* 65.

Pythagoramque magum captantem nominis auram,
Venantemque hominum gravibus sermonibus aures.

Quae (1) infrà addit Harduïnus de ea diversitate, quae inter veteres nummos occurrit, & Stephanum Byzantium, cujus ἐθνικὰ tanto sunt hodie in pretio apud eruditos, ea ferè desumsit è Dissertatione (2) nona *de Praestantia & Usu Numismatum antiquorum* Illustrissimi Spanhemii. Itaque non habuit, quod Oedipum familiari sibi loquendi genere hoc loco advocaret; cùm potuisset uti canonibus in eadem Dissertatione allatis & illustratis; nisi Stephani & aliorum Geographorum veterum fidem dubiam facere maluisset.

Sequitur incredibilis Harduïni allucinatio, quam ideò praeterire nolui, quòd & praecipitem animum arguat, & lapsum eò turpiorem, quò facilius potuit evitari: „ Hoc „ (3) primum anno, inquit, (Olympiade „ 37. Romae anno 110.) Babylonii side„ rum observationes in laterculis coctilibus „ adnotarunt, nempe ante annos DCCXX. „ quàm Plinius scriberet, teste ipso, libro

 „ VII.

(1) *Chronologia, pag.* 92. (2) *Spanhemius, pag.* 906. *& seqq.* (3) *Chronologia, pag.* 92. 93.

„ VII. pag. 94. *Epigenes apud Babylonios*
„ DCCXX. *annorum obſervationes ſiderum co-*
„ *ctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis Au-*
„ *ctor in primis; qui minimum, Beroſus &*
„ *Critodemus*, CCCCXX. *annorum.* Ita le-
„ gendum cum omnibus libris, tum editis
„ tum manu exaratis; tametſi olim, falſo
„ alterius Scriptoris admonitu, aliter edi cu-
„ ravimus. Scripſit autem Plinius anno Ur-
„ bis Romae DCCCXXX. teſte eodem ipſo
„ locis pluribus. Beroſus ſimiliter Babylo-
„ niorum obſervationes negat fuiſſe hujuſ-
„ modi, niſi ante annum Urbis conditae
„ CCCCX. ut ex loco Plinii proximè allato
„ colligitur; hoc eſt, paucis antè annis
„ quàm Alexander Magnus regnaret. Ex quo
„ Beroſum intelligimus huic Principi fuiſ-
„ ſe aequalem; quem etiam hominem Grae-
„ cum, Atticumve, Plinius idem ſubindi-
„ care videtur, lib. VII. ſect. XXXVII.„
Aut Epigenem Plinio aequalem cenſet Har-duinus, aut certè ea, quae modò attuli-mus, nullâ ratione conſtare poſſunt. Prae-tereà ſi Plinium ita intellexit, dicat, quae-ſo, quibus machinis Beroſum illum, *homi-nem*, ſi Diis placet, *Graecum* aut *Atticum*, cum Epigene in concordiam adducturus ſit. Verùm hîc Harduïno erroris fons fuiſſe vi-detur: centum & decem annos ab Urbe con-

dita

dita, cum ſeptingentis & viginti Babyloniarum obſervationum annis conjunxit, & ceterorum ſecurus, quae majorem attentionem requirebant, ſibi veram obſervationum illarum aetatem ex aetate Plinii collegiſſe viſus eſt, errore riſibili, cujus eum ſanè pudebit; ſi tamen hominem, qui tot pudendas opiniones in Hiſtorias ſacras & profanas inducere voluit, rei cujuſquam pudere poteſt. Omnem autem admirationem ea ſuperant, quae mox obſervabimus. Depravatam fuiſſe ab amanuenſibus Plinii ſententiam, luculenter oſtenderat Harduinus in elegantiſſima & optima illius Scriptoris editione. Imò Plinii lectionem ipſam probabiliter emendaverat; quod nunc *falſo alterius Scriptoris admonitu* factum queritur: eum Scriptorem Ciceronem eſſe, modò ex ipſis Harduini verbis oſtendemus. Ita nempe loquitur in Notis & Emendationibus ad ſeptimum Plinii librum (1): „ CCCCLXX. annorum M. reclamantibus licet libris omnibus, quos vidi, qui DCCXX. *annorum* „ tantum legunt; quovis enim pignore contenderim corruptum eſſe numerum, reſtituendumque, uti à me eſt reſtitutus. Cicero enim, à quo Plinius haec, ut alia „ multa, accepit, lib. 1. de Divin. pag. „ 171.

(1) *Tom. II. pag.* 134.

„ 171. *Contemnamus*, inquit *Babylonios*, *&*
„ *eos*, *qui ex Caucaſo caeli ſigna ſervantes*, *nu-*
„ *meris & motibus ſtellarum curſus perſequun-*
„ *tur*: *condemnemus*, *inquam*, *hos aut ſtul-*
„ *titiae*, *aut vanitatis*, *aut impudentiae*, *qui*
„ CCCCLXX. *millia annorum*, *ut ipſi dicunt*,
„ *monumentis comprehenſa continent* &c. Et
„ lib. 2. ejuſdem operis, pag. 250. *Nam*
„ *quod aiunt*, *quadringenta & ſeptuaginta millia*
„ *annorum in periclitandis*, *experiundiſque pue-*
„ *ris*, *quicumque eſſent nati*, *Babylonios po-*
„ *ſuiſſe*, *fallunt* &c. Proinde hîc etiam ſcribi
„ oportuit CCCCLXX. annorum M. Certè
„ annorum millia locus ipſe poſtulare vide-
„ tur, non annos.„ Quae poſtrema Harduini verba vix quiſquam intelliget, niſi ad ipſum Plinium adeat, ſublatumque ſuprà ex induſtria ultimum Plinianae periodi comma, ſuperioribus addat; ita enim integram Auctoris ſententiam habebit Harduini opinionibus & conjecturis manifeſtiſſimè reclamantem: „ Litteras, inquit Plinius, ſem-
„ per arbitror Aſſyrias fuiſſe; ſed alii apud
„ Ægyptios à Mercurio, ut Gellius; alii apud
„ Syros repertas volunt . . . . . .
„ Anticlides in Ægypto inveniſſe quendam
„ nomine Memnona tradit, XV. annis ante
„ Phoronaeum, antiquiſſimum Graeciae Re-
„ gem, idque monumentis approbare cona-
tur.

„ tur. E diverſo Epigenes apud Babylonios „ DCCXX. annorum obſervationes ſiderum „ coctilibus laterculis inſcriptas docet, gra- „ vis Auctor in primis; qui minimum, Be- „ roſus & Critodemus, CCCCXX. annorum. „ Ex quo apparet (1) aeternus litterarum „ uſus. „ Unde, quaeſo, apparebit, litteras *ſemper Aſſyrias fuiſſe*, & *aeternus ille litterarum uſus*, ſi conſtiterit ex Epigene, Aſtronomicas obſervationes anno demum decimo & centeſimo ab Urbe condita Babylone fuiſſe inſtitutas? Quorſum autem opus fuit Ciceronis teſtimonio, in re manifeſtiſſima falſi accuſationem intentare? Haud ſatis memor fuiſſe videtur Harduïnus, cùm haec ſcriberet, ſe in *Prolaſione* agnoviſſe ſcripta Ciceronis Scholis ſuis Archontianis eſſe longè vetuſtiora. Redeat ergo cum Cicerone in gratiam, ita Lavernam perpetuò faventem experiatur, faxitque ut Δεύτεραι Φροντίδες μωρότεραι priorum cogitationum ſapientiâ & acumine emendentur. Veram porro Plinii lectionem elegantiſſimè aſſeruit vir eruditiſſimus, Jacobus Perizonius, in Diſſertatione Philologica prima (2) de Originibus Babylonicis, qui elegantiorum litterа-

(1) *In edit. Harduïni legitur*, aeternum uſum, *errore, ut puto, Typographi.* (2) *Lugd. Bat. in 4. 1694.*

terarum amatoribus hîc omnino consulendus est.

Quanto odio veteres Graecos, juxta atque Latinos Scriptores Harduïnus exagitat, tanto amore apocryphas Veteris Testamenti Historias prosequitur; quâ planè in re aliquid esset ei condonandum, homini in praejudicatas partium suarum opiniones, ut fieri solet, ipsâ educatione proclivi; nisi in eo etiam ita opinionibus suis & commentitiis fabulis indulgeret, ut veteres Historicos narrationes suas inde hausisse, Lectoribus incautis persuadere conaretur. Ita ex Machabaeorum secundo recensitâ parum veri simili narratione (1) de aqua è puteo, Nehemiae jussu hausta, quae in ignem miraculo versa est, [quam narrationem quominus veram credamus, ipse Nehemias impedit, qui miraculum tanti momenti ipse sanè eo in libro, qui ejus nomine in Ebraeorum Canonem receptus est, commemorare non fuisset oblitus] natam esse in fabulam comminiscitur de igne à Persis adorato. (2) *Ex hoc*, inquit, *loco perperam intellecto, quibusdam igni templum fecisse Artaxerxem Longimanum interpretantibus, nata fabula est de igne à Persis adorato.* At res constat ab omni aevo; ut enim nihil demus fidei veterum Scriptorum, ipsa

(1) *Chronologia, pag.* 146. (2) *Ibid. pag.* 147.

ipsa pro nobis facit Ignicolarum Historia, qui ad aetatem usque nostram in India & Persida ipsa perdurarunt. Quin etiam excerpta quaedam veterum Religionis illius librorum edidit nuper in vulgus vir celeberrimus, Thomas Hyde, in tractatu erudito de Religione veterum Persarum & Magorum. An fortè conabitur Harduïnus haec etiam monumenta Severi Archontii discipulis assignare, ne ab ullo facinore, quantumvis à sensu hominum communi abhorrente, illa Societas immunis fuisse videatur?

Ita, Harduïno auctore, series Regum Persarum in *Canone sive Theonis, sive Ptolemaei*, partim ex Herodoto & Plinio, partim ex Libro primo Machabaeorum accepta est; nisi fortè maluerimus, ex alia Harduïni conjectura, (1) *profanos primum aliquos homines ex libris Esdrae pravè intellectis eam successionem finxisse*: quae monstra opinionum ita proponuntur, ita etiam pugnant inter se, ut nullâ omnino refutatione indigeant, ut ab eruditis omnibus explodantur.

Tolerabilius tamen Harduïnus insaniret in jactanda tantoperè Scriptoris Libri primi Machabaeorum auctoritate; nisi ipsum Auctorem, quem sacrum existimat, vel invitum eas in sententias attrahere conaretur, quae

(1) *Chronol. pag.* 152. 153.

malè fultas opiniones utcumque corroborare poſſint. Ita enim loquitur poſteà, quàm Alexandri annos contra fidem veterum omnium Hiſtoricorum collegit: (1) *Toto Hiſtoriae Machabaeorum exordio, Alexander apertè ponitur à devicto Dario duodecim annos regnaſſe: ex Plinio autem & caeleſti obſervatione, annos ipſos duodecim ante eam victoriam eumdem in Graecia exegiſſe.* Quae ad Plinium & caeleſtem illam obſervationem attinent, ea nos gravibus de cauſis intacta relinquemus, hoc unum demonſtraturi, Libri primi Machabaeorum Scriptorem, quem ut ſententiae ſuae faventem adducit Harduinus, eidem manifeſtiſſimè adverſari. Ita enim loquitur ex Vulgata Verſione, cujus auctoritatem non minorem hîc eſſe, quàm Graeci textûs, ultrò fatemur: (2) „ Et factum eſt, poſtquam „ percuſſit Alexander Philippi Macedo, qui „ primus regnavit in Graecia, egreſſus de „ terra Cethim, Darium, Regem Perſa„ rum & Medorum; Conſtituit proelia mul„ ta & obtinuit omnium munitiones, & in„ terfecit Reges terrae; Et pertranſiit uſque „ ad fines terrae, & accepit ſpolia multitu„ dinis gentium, & ſiluit terra in conſpectu „ ejus . . . . . Et poſthaec decidit in le„ ctum, & cognovit quia moreretur . . . . . „ Et

(1) *Chronol. pag.* 164. (2) *Machab. l.* 1.

„ Et regnavit Alexander annis duodecim, „ & mortuus eſt. „ Quibus verbis quis non videt ſummam eorum annorum contineri, quibus Alexander tum ante, tum poſt devictos Perſas regnavit; & Harduïnum nugis ſuis fulciendis unicè intentum, à ſententia illius Scriptoris, quem ſacrum vocat, planè diſcedere?

Quis autem, ut ad ulteriora pergamus, induxiſſet animum ut ſuſpicaretur, elegantiſſimum Scriptorem Thucydidem cùm *ἀνισορηϛίας*, tum etiam Graecae linguae ignorationis nomine in ſuſpicionem unquam adductum iri? Verùm nihil eſt, quod Harduïni ſtomachus concoquere non poſſit, qui nunquam audacius jactare ſe ſolet, quàm ſicubi commentitias opiniones in medium adducit. Ejus verba in re prope incredibili hîc Lectorum oculis ſubjiciemus: „ (1) Et „ Thucydidem ille [Plinius], inquit Har„ duïnus, miro exornat elogio, libro VII. „ ſect. XXXI. *Thucydidem Imperatorem*, in„ quit, *Athenienſes in exſilium egere; rerum* „ *conditorem revocavere; eloquentiam mirati*, „ *cujus virtutem damnaverant.* Verùm à Thu„ cydidis, qui quidem circumfertur, cal„ culo diſſidet . . . . . Viderint igitur eru„ diti, num is, cujus Hiſtoria omnium te-

 „ ritur

(1) *Chronologia, pag.* 152.

„ritur manibus, diversus sit à Pliniano. Pro-
„prietatem certè sermonis Graeci in illo
„quispiam fortè desideret, qui legerit lib.
„IV. pag. 316. [269. *ed. Hudsonianae*] de
„postrema acie duorum exercituum, Καὶ ἑκα-
„τέρων τῶν στρατοπέδων τὰ ἔσχατα οὐκ ἦλθον ἐς χεῖ-
„ρας. Quod Gallicè dixerimus, *les deux*
„*arriere-gardes n'en vinrent pas aux mains.*
„Quamquam nec illam metaphoram (*en ve-*
„*nir*) Graeca ibi ulla vox exprimit; nec il-
„lud ἐς χεῖρας, *aux mains.* Est enim ἔρχε-
„σθαι ἐς χεῖρας, *venire in manus*; non, ma-
„nus conserere. Sexcenta ibi similia for-
„mae Gallicae dicta, quisquis animum ad-
„verterit, si quidem Graecè nôrit, nullo-
„negotio deprehendet.„ Quàm peritus sit Graecae linguae Harduinus ipse tam rigidus Hellenismi exactor, hîc paucis ostendendum est. Ἦλθον εἰς χεῖρας, *Gallicae formae* dictionem esse docet, quasi multa ejusmodi in omnis aevi Graecis Scriptoribus non occurrerent. Verùm Herodoti auctoritate, quem unum probat, *rigidissimus Criticorum* confutandus est. Nemo plures eo Scriptore habet Gallicismos, jam pridem Henrico Stephano ejus editori compluribusque aliis observatos, quorum utique ne dimidiam partem Thucydidis lectio suppeditabit. Sed enim ne discedamus ab immeritò suspecta dictione, eandem pro-

pe„

pe, aut saltem valde similem habet Herodotus, libro III. ubi conjurationem & pugnam Optimatum Persarum contra Magos describit: (1) Ὁρέων δὲ μιν [Δαρεῖον] ἀεργὸν ἐπιστέωτα ὁ Γοβρύης, εἴρετο ὅτι ἀ χρῆται τῇ χερί: *Eum cernens Gabryas otiosum, interrogavit cur non uteretur manu.* Ita etiam Latini, *manus conserere* dicunt, *manus abstinere*, & sexcenta ejusmodi, quae sub Gallico caelo nata non dixerit Harduinus, nisi Latinam juxta atque Graecam linguam emendare parat ex Plinio, Vulgata & Decretalibus Episcoporum Romanorum; explosis quibuslibet aliis Antiquitatis Latinae monumentis. Alio praetereà Auctore, quo saepius idem Harduinus utitur, neque se suspectum habere usquam testatus est, Thucydidi natales suos vindicamus; Hesychio nempe, cujus insigne Lexicon magno semper in pretio fuit apud eruditos. Is Graecam vocem, frequenti aliàs Scriptorum usu cognitam, ἐπεχειρίαν sic explicat: ἐπεχειρία, αἰρεσία, ἀναίπαυσις, ἀνοχή, Φιλία: cujus vocis illud est ἔτυμον, veluti reapse apparet, & testimonio Etymologici Magni constat, quod Thucydidi Graeci sermonis cognitionem, vel invitis omnium Loiolitarum Synagogis asserat. Quid porro opus est, egregium Scriptorem vindicare contra vanas hominis, neque Graecè satis erudi-

(1) *Cap.* 78. *pag.* 194.

eruditi, neque fortè ea credentis, quae ſcribit, objectiones? Cuinam, amabò, hominum, lectis duabus aut tribus Thucydidis pagellis ſubibit in mentem ejuſmodi dubitatio? An, quaeſo, ignorat Harduïnus, ſcatere Gallorum linguam frequentibus Helleniſmis, ſive eos ab ipſa Latina lingua acceperit, unde Gallica degeneravit; ſive à vetuſto Maſſilienſium commercio ejuſmodi formae loquendi in hodiernum uſque ſermonem derivatae ſint? Neque tamen in iis, quae ad Graecam linguam ſpectant, Harduïnus magnopere audiendus eſt, Graecâ litteraturâ leviter admodum tinctus. Cui rei teſtimonio eſt expoſitio cujuſdam imaginis Servicis inſcriptae litteris, ex earum genere, quas Cyryllicas vocant; quam ille expoſitionem in Supplementum Pariſienſis Diarii Eruditorum, menſe Martio, anni M DCC VII. inſeri curavit. Primò Graecam eam Inſcriptionem eſſe ſtatuit; deinde verſum neſcio quem inde extundit, tam in Grammaticae, quàm in Proſodiae regulas ineptè offendentem. En verò Inſcriptionem ipſam litteris Graecis, cùm aliae deſint, accuratè deſcriptam:

* Ω Β Ρ Α Ζ: Γ C Π Δ Ν°
Ν Α Ϡ Β Ρ Ϡ C:

Eam

* *Ubi duo puncta appoſui, ſupplenda eſt littera quaedam propria Slavonum, quae Graeco Alphabeto deeſt, & vim habet c muti Gallorum.*

Eam ego Inſcriptionem cùm multis Moſcovitis, & erudito cuidam homini, qui in Servia peregrinatus eſt, oſtendiſſem, ſtatim ſine ulla haeſitatione Slavonicam eſſe dixerunt, & alii poſt alios his verbis quaſi uno ore interpretati ſunt: IMAGO DOMINI IN SINDONE. Quae cùm planè congruant cum illa imagine, in cujus inferiore limbo adſcripta ſunt, nullâ ratione poſſunt in dubium revocari. Videamus tamen quid hîc elegantiſſimus Criticus comminiſcatur. Graecum eſſe verſum, eumque Spondaïcum fingit, hoc modo legendum:

Ὦβρασε δή γε γραφὶς σχέμα πανονάϗ ἄκρον.

Qui verſus ſanè dignus erat, in quo interpretando aeternum ſudaret tota natio Criticorum; niſi labore eos ſublevatos voluiſſet Harduïnus. Scripſerat primò, ut viriſimile eſt, σχῆμα, ut Dactylum in penultimo pede haberet. At fortè ab alio admonitus, primam ſyllabam in ἄκρον longam eſſe intellexit. Ergo, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, Heſychium conſuluit, quem ſibi faventem expertus eſt, abſque quo fuiſſet, ut egregio verſu careremus, qui Spondaïcus factus eſt, poſtquam Dactylicus eſſe nequivit. Addidit Latinam interpretationem, ne fructu admirabilis inventi carerent, qui Graeca hujuſmodi non intelligunt,

gunt, qui certè numero admodùm sunt pauci extra Collegium Parisiense Claromontanum:

Vultum utique invitus sejunxit corpore pictor.

Quam ipsam versionem ita illustrat, ut se in Graecis fermè ἀναλφάβητον probet. Ὦβρα vocem Graecis auribus peregrinam & barbaram voce Latinâ *divisit* interpretatur, adductâ denuò eam in rem Hesychii auctoritate, apud quem ὤβρα̃λο voci *nihili*, aliud verbum εἴμαρ̃λο, adjungitur. Demus autem Harduïno, εἴμαρ̃λο aliquando apud Scriptores Graecos *divisum est* significasse, quod vereor ut unquam probare possit; interim à nobis discet, hanc in Hesychii Lexico vocem corruptam proponi; omninoque legi debere πέπρω̃λο, εἰμαρτο, quae verba desumta sunt è veteri Scholiaste Homeri, Odyss. Ε. versu 312. ubi leguntur, hoc modo: εἰμαρτο, πέπρωτο: item Iliad. Σ. versu 329. πέπρωται, εἰμαρται. Ne verò miretur, haec alieno loco in Hesychio inveniri, sub littera Ω, sciat Hesychium vitiosâ saepenumerò lectione deceptum, in eum errorem, quem hîc observamus, incidisse. Ita sub littera Η legitur Η'ροπᾶν, ἦμαρ διόλης τῆς ἡμέρας· quae ex eodem Scholiaste emendanda sunt, ubi leguntur, Iliad. Α. versu 601. πρόπαν ἦμαρ· δι ὅλης τῆς ἡμέρας. Praeter egre-

egregias voces χρέμα, ὥβραι, quibus linguam Graecam locupletavit, aliam Harduïno debemus acquè adhuc incognitam, Παυόνάς nempe, *omnium redemtoris*, ab ὀνάω *emo*, de qua voce nullam ei controverſiam movebimus, poſtquam βοάς, *clamatoris*, à βοάω, aut cujuſvis alius ex eadem analogia exemplum attulerit. Habemus ergo affatim exemplorum, quibus ſumma in Graecis litteris Harduïni imperitia oſtendatur. Et tamen is eſt Ariſtarchus, quem Loiolitarum Societas tamdiu aluit, ut eſſet aliquando qui Gallicismos in vetuſtis quibuſque Scriptoribus Graecis ineſſe demonſtraret.

In nummo Mauſoli, quem paginâ 159. recenſet, ubi nomen Βασιλέως in nummis ad eam uſque aetatem non occurrere obſervavit, [eum enim morem infrà (1) *nonniſi poſt Alexandri Magni obitum invectum* fuiſſe exiſtimat] ita concludit obſervationem ſuam; *quae quidem*, inquit, *obſervatio ſuadet . . . . non eſſe orbem adeò vetuſtum, ac nonnulli ponunt.* Ego quidem facinus eſſe judicaverim ab Ebraei textûs & Vulgatae Verſionis rationibus, in aſſignanda Mundi aetate diſcedere, licet non intelligam, quibus machinis ex hoc Mauſoli & aliis ejuſmodi numiſmatibus deductam è Septuaginta Interpretibus *Chronologiam*

(1) *Chronol. pag.* 160.

giam Harduïnus infirmare poſſit; cùm Homerus, Mauſolo Care & Alexandro haud paulò vetuſtior, Βασιλέως nomen eâdem, quam poſteà obtinuit, ſignificatione, in utroque Poëmate paſſim uſurpaverit.

Praetermiſſis Harduïni de utroque (1) Ptolemaeo, Lago, & Philadelpho nugis, & puerilibus, quae jam ſuprà exploſae ſunt, & ludibrio doctorum expoſitae, etymologiis, pauca quaedam de Monumento Adulitano dicemus, (2) quod jam ſaepius pervenerat in manus eruditorum, anteà quàm nuper à doctiſſimo viro, Bernardo de Montfaucon, unà cum Coſma Indico-Pleuſte in Collectione nova Patrum & Scriptorum Graecorum ederetur. Ita ergo in Ptolemaei Philadelphi & Arſinoës nummo recenſendo occaſionem nactus, de eo Monumento Harduïnus loquitur: „ Nummus aureus à Se„ guino vulgatus, pag. 47. quem vidimus, „ pondo trium aureorum ΘΕΩΝ. Capita „ Ptolemaei Soteris, & conjugis, jam „ *Divorum*. In parte averſa ΑΔΕΑΦΩΝ. „ Capita pariter Ptolemaei Philadelphi, & „ Ar-

(1) *Chronol. pag.* 167. (2) *Editum eſt Monumentum Adulitanum à Luca Holſtenio Romae, à Sponio in Miſcellaneis ed. in fol. pag.* 358. *à Thevenotio, tom.* 1. *Itinerum collectorum in fragmentis Coſmae, pag.* 8. *& nuper à doctiſſimo Joh. Alberto Fabricio, Biblioth. Graec. tom.* 2. *pag.* 604. *& ſeqq.*

„ Arſinoës ſororis; quam ille in ſocietatem
„ non tori, ut impuri finxerunt; ſed regni,
„ adſciverat. Cave porro legas conjunctim,
„ ut vulgus ſolet, haec duo vocabula,
„ ΘΕΩΝ ΑΔΕΑΦΩΝ: quae Inſcriptio
„ in nummo vetere Deii inſulae, Apollinem
„ & Dianam ſignificat. Nam ΘΕΩΝ ad
„ Divos & poſt obitum conſecratos; ΑΔΕΑ-
„ ΦΩΝ ad vivos tunc adhuc Principes perti-
„ net. Nam Monumento Adulitano, quod
„ in falſis tantùm membranis exſtat; narrat-
„ que perridicula ſanè multa, nemo ſapiens
„ fidem adhibeat. „ *Impuros finxiſſe* Ptolemaei & Arſinoës matrimonium, tam pronum fuit Harduïno dicere, quàm probare fuiſſet operoſum: itaque prudenter injectâ dubitatione ſiluit, quod tamen minimè faciendum erat ea in re, quam veterum Scriptorum teſtatur unanimis conſenſus. An defuerunt aetate noſtrâ exempla inceſtorum hujuſmodi matrimoniorum? Revocet ſibi modò in mentem Harduïnus Regem illum Siamenſium, qui ſuperioribus annis magno damno ſuo Loiolitarum Societatem & familiaritatem expetivit. (1) Duxerat ille uxorem, ſororem germanam ſuam, quâ mortuâ filiam ex eo matrimonio natam in tori ſocietatem adſcivit. An Ægyptiorum Reges ſanctiores

(1) *La Loubere, tom. 1. pag. 305. 306.*

ctiores aut continentiores fuisse censet eo Rege, quem mirificis laudibus, quamdiu vixit & floruit, in caelum usque Harduïni Socii extulerunt? Quâ fronte ut minus verum rejicitur id, quod tota contestatur Antiquitas, & recentioribus exemplis olim fieri potuisse confirmatur? Neque Adulitanae Inscriptioni, nobilissimo Antiquitatis monumento, quidquam unquam negando & inficiando detrahetur, relato eum in librum, & ab eo homine descripto, cujus mira simplicitas omnem, procul dubio, apud studiosos Antiquitatis suspicionis opinionem removebit. Inscriptionem sanè pulcherrimam praestantissimo viro, Jobo Ludolfo, non innotuisse dolendum est, qui eam pro egregia eruditione sua, & ea cognitione, quâ pollebat, rerum Æthiopicarum, prae omnibus aliis luculenter illustrasset. Hoc loco quando hujus Inscriptionis defendendae occasio oblata est, Satyri Historiarum Scriptoris fragmentum insigne, quo Monumenti Adulitani initia illustrantur, praeterire non potui: non quòd eo quidquam motum iri Harduïnum sperem, qui & Theophilum Antiochenum, cui hoc fragmentum debemus; & Satyrum, & Cosmam ad Synagogas Archontianorum amandabit; sed quòd me nonnullam fortè eo facto ab eruditis gratiam relaturum confidam. Haec sunt ita-

itaque, quae in primis versibus Adulitanae Inscriptionis saeculo sexto legebantur: (1) Βασιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος, υἱὸς βασιλέως Πτολεμαίου, καὶ βασιλίσσης Ἀρσινόης Θεῶν Ἀδελφῶν, ἔκγονος βασιλέων Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Βερενίκης Θεῶν σωτήρων ἀπόγονος, τὰ μὲν ἀπὸ πατρὸς Ἡρακλέος τοῦ Διὸς, τὰ δὲ ἀπὸ μητρὸς Διονύσου τοῦ Διὸς. Id est: *Rex magnus Ptolemaeus, filius Regis Ptolemaei, & Reginae Arsinoës, Deorum fratrum, Regis Ptolemaei & Reginae Berenices, Deorum Sospitatorum nepos; ex patre quidem Hercule, Jovis filio; ex matre autem Baccho item Jovis filio, oriundus.* Titulus hîc additus Θεῶν ἀδελφῶν, non minus numisma suprà allatum illustrat, quàm commentitias Harduïni opiniones refellit. Genus ergo Ptolemaei Euergetae relatum ad Herculem & Bacchum ab illius aevi adulatoribus, qui quod hodie passim adhuc obtinet, γενεαλογίας ἀπεράντους scribebant, Satyri testimonio abundè illustratur. Quem locum etsi longiusculus est, hîc integrum adscribam: (2) Ἀλλὰ καὶ Σάτυρος ἱστορῶν τὰς δήμους Ἀλεξανδρέων, ἀρξάμενος ἀπὸ Φιλοπάτορος τοῦ καὶ Πτολεμαίου προσαγορευθέντος, τάδε μηνύει Διόνυσον ἀρχηγέτην

(1) *Collect. Nova Patrum & Scriptorum Graecorum, tom. 2. pag. 141.* (2) *Theophilus ad Autolycum, lib. 2. pag. m. 85. Confer cum Eusebii fragmentis in Thesauro Temporum Jos. Scaligeri, in Graecis, pag. 45. & 57.*

χέτην γεγονέναι· διὸ καὶ φύλην ὁ Πτολεμαῖος πρώτην κατέστησεν· λέγει δ' ἐν ὁ Σάτυρος ὅτως· Διονύσῳ καὶ Ἀλθέας τῆς Θεστίου γεγενῆσθαι Δηϊανείραν, τῆς δὲ καὶ Ἡρακλέος τοῦ Διὸς οἶμαι Τ'λον, τοῦ δὲ Κλεόδημον, τοῦ δ' ὃν Ἀριστόμαχον, τοῦ δὲ Τήμενον, τοῦ δὲ Κεῖσον, τοῦ δὲ Μάρωνα, τοῦ δὲ Θέστιον, τοῦ δὲ Ἄκοὸν, τοῦ δὲ Ἀριστομίδαν, τοῦ δὲ Καρανὸν, τοῦ δὲ Κοινὸν, τοῦ δὲ Τύριμμαν, τοῦ δὲ Περδίκκαν, τοῦ δὲ Φίλιππον, τοῦ δὲ Ἀέροπον, τοῦ δ' ὃν Ἀλκετὰν, τοῦ δὲ Ἀμύνταν, τοῦ δὲ Βόκρον, τοῦ δὲ Μελέαγρον, τοῦ δὲ Ἀρσινόην, τῆς δ' ὃν καὶ Λάγου Πτολεμαῖον τὸν καὶ Σωτῆρα, τοῦ δ' ὃν καὶ Βερονίκης Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον, τοῦ δ' ὃν καὶ Ἀρσινόης Πτολεμαῖον τὸν Εὐεργέτην, τοῦ δ' ὃν καὶ Βερονίκης τῆς Μέγα τοῦ ἐν Κυρήνῃ βασιλεύσαντος Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον [leg. Φιλοπάτορα·] ἡ μὲν δὴ πρὸς Διόνυσον τοῖς Ἀλεξανδρείᾳ βασιλεύσασι συγγενεία ὅτω περιέχει. Id eſt: *Satyrus, qui compoſuit Hiſtoriam populorum Alexandrinorum, initium faciens à Philopatore, qui & Ptolemaeus nuncupatus eſt, ejus generis auctorem Bacchum fuiſſe indicat. Quamobrem eam tribum* [Dionyſiam] *primam conſtituit. Ceterum Satyri verba haec ſunt: ex Baccho & Althea, quae Theſtii fuit filia, orta eſt Deianira; ex hac & Hercule, Jovis filio, genitus eſt Hylus; ex hoc Cleodemus; ex hoc Ariſtomachus, &c. . . . Bocrus, ex hoc Meleager, ex quo Arſinoë. Haec & Lagus procrearunt Ptolemaeum cognomento*

mento Soteră; ex hoc & Berenice ortus eſt Ptolemaeus Philadelphus; ex quo & Arſinoë Ptolemaeus Euergetes; ex quo & Berenice, quae filia fuit Megae, Regis Cyrenes, originem habuit Ptolemaeus Philopator. Regum Alexandrinorum cum Baccho cognatio in hunc modum ſe habet. Hinc intelligitur, quâ ratione uſu ſint Ptolemaei in materno genere ad Bacchum referendo; quorum auctor Ptolemaeus Lagi, ſi filius fuit Philippi ipſius Macedonum Regis; quae Pauſaniae ſententia eſt & Curtii, ſatis apparet, cur paternam ſtirpem ab Hercule deduci voluerint. Eam concordiam inter Satyrum & vetuſtam Inſcriptionem Adulitanam, qui malis artibus Synagogae Severi Archontii, aut cuivis alius, cum Harduïno tribuendam eſſe volent, erunt, ni fallor, oppidò perpauci; ex eorum certè numero, qui veritatis amorem cum litterarum elegantiorum ſtudio conjunxerunt.

Si qui autem erunt, quibus licebit per otium ea legere, quae commentatur Harduïnus in nummum Aretae Regis, pag. 177. admirabuntur quantum aeſtuet, ut licet vincatur evidentiâ rei, veritatem tamen agnoſcere non cogatur. Negaverat ſuprà (1) hoc nomen Ἀγρίππας ita unquam inflecti potuiſſe, ut in genitivo caſu Ἀγρίππα diceretur.

(1) *Chronologia, pag. 156. 157.*

Hîc Ἀρέτᾳ occurrit, à recto Ἀρέτας. Ergo neſcio quas nugas comminiſcitur, quibus ineptè effici putat, ut ſtante nummi ſui auctoritate, ſecum ipſe pugnare non videatur. Quae cùm ineptiſſima ſint, ſufficiat ea indicaſſe, Lectoris cenſurae & judicio relinquenda; ut & ea, quae proximè conſequuntur, quaeque jam ſuprà innuerat de (1) *Hiſtoriis Arabicè ſcriptis*, Eutychii videlicet Alexandrini Patriarchae, *quae ſunt*, inquit Harduïnus, *pleraeque recentes & ab improbis hominibus conficiae.*

Egregio argumento, ut ſolet, colligit Harduïnus Plinium ſuum Romanum fuiſſe, non Veronenſem, ut plerique eruditorum arbitrantur: (2) *Dum porro*, inquit, *Plinius toties* noſtrae urbis *dicit, ſe palam & apertè Romanum profitetur, nuſquam Veronenſem.* Atqui Catullum Veronenſem, conterraneum ſuum vocat in Praefatione ad Veſpaſianum: Sed enim (3) *nullam fidem meretur*, inquit Harduïnus, *qui primus Plinii ipſius liber nuncupatur, Praefationem complexus ſcilicet, indicemque capitum & Auctorum. Eſſe quippe pannum ſubditicium, attextum ab interpolatoribus, vel una ſtyli in praefatione incredibilis à reliquo opere diſſimilitudo admonet.* Hoc eſt profectò, quod

(1) *Ibid. pag.* 180, & 122. (2) *Ibid. pag.* 212.
(3) *Ibid. pag.* 152.

quod dici solet, & pervulgatum est in scriptis Criticorum: *Aliter catuli olent, aliter sues*; hanc enim *styli dissimilitudinem* quis fuisset odoratus, nisi de ea Harduinus monuisset? Est praetereà Catullus ipse commentitius Scriptor ex Schola Archontianorum, & impuro illorum hominum genere, qui fratres & sorores in Ægypto communione tori usos esse voluerunt. Ita enim in Poëmate de Coma Bereniçes Callimachus in Latinum sermonem à Catullo conversus Berenicen alloquitur:

At tu non orbum luxti desertà cubile,
Sed fratris cari flebile dissidium.

Quae fortè Graecè dixerat Callimachus, ut celeberrimus vir olim conjecit:

Οὐδέ γε χηρόσυνον ὀλοφύρατο λέκτρον ἔρημος,
Ἀλλὰ κασιγνήτῳ μέρμερον ἀζυγίην.

Facessant ergo deinceps unà cum aliis Catullus & Callimachus damnati *νοθείας* ab Harduino, qui veterem Historiam instaurare parat, dirutis veteribus quibuscunque monumentis. Haud tamen ei dederimus, ideò Plinium Veronensem non fuisse, quòd *se palam & apertè Romanum profiteatur*. Quid enim? Cicero non erit Arpinas, quòd se Romanum esse saepenumero professus sit. Quod ipsum ita

manifestum est, ut ei saltem dubio Harduinus occurrere debuisset; cujus quandoquidem oblitus esse videtur, ei memoriam hìc refricabo, allatis hoc loco Ciceronis ipsius verbis, quae leguntur initio libri secundi de Legibus; ubi cùm Cicero commemorasset, quâ caritate eum locum prosequeretur, in quo cum Tito Pomponio Attico & Quinto fratre se eam de Legibus disputationem habuisse singit; ita Atticum verba facientem inducit: „ ATT. Sed illud . . . . quale est, „ quod paullò antè dixisti? hunc locum „ (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse vestram. Numquid „ vos duas habetis patrias, an est illa una patria communis? Nisi fortè sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. „ MARCUS. Ego me hercule & illi, & „ omnibus municipibus duas esse censeo patrias; unam naturae, alteram civitatis: ut „ ille Cato, cùm esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est: itaque cùm ortu Tusculanus esset, civitate „ Romanus; habuit alteram loci patriam, alteram juris: ut vestri Attici, priusquam „ Theseus eosdem migrare ex agris, & in „ astu, quod appellatur, omnes se conferre „ jussit, & Sunii erant iidem & Attici; sic „ nos & eam patriam dicimus, ubi nati, & „ illam,

„ illam, quâ excepti sumus. Sed necesse „ est caritate eam praestare, quâ Reipublicae „ nomen universae civitatis est; pro qua mo„ ri, & cui nos totos dedere, & in qua no„ stra omnia ponere, & quasi consecrare de„ bemus. „ Habet ergo hîc Harduinus auctoritatem evidentissimam contra se manifestò facientem. Sanè, ut ait Auctor quidam eruditissimus, non ita remotus ab aetate nostra, (1) *qui urbem incolebant, majestati Romanae hoc deferebant, ut aliam patriam non profiterentur. Et haec est*, ait infrà idem Scriptor, *ratio, cur apud Cornelium Nepotem, Sallustium, Livium, Plinium, nulla Patriae mentio extet; cùm ille Circum-Padanus; Ameterninus ille; alter Patavinus; Veronensis alter, sive Novo-Comensis esset.* Haec Auctor eruditissimus; quae si minus arriserint Harduïno, meliora afferat, aut certè desinat ineptis accusationibus antiquorum Scriptorum fidem labefactare conari. Vix enim à se impetrabunt eruditi omnium gentium, quin ejus opiniones impietatis accusent, quamdiu nullâ propositâ ratione, postquam omnium veterum monumentorum auctoritatem, ut solet, aspernatus erit, concludet his verbis suspiciones & inficiationes suas: (2) *Quorsum autem*

(1) *Laurentius Pignorius, Symbolarum Epistolicarum Ep.* XLIV. *pag.* 189. 190. (2) *Chronol. pag.* 228.

priſci illi Scriptores rerum Graecarum vel Romanarum nobis veniant in ſuſpicionem, tutum eſt in aliud tempus differre: ubi nondum paratis, ut credere par eſt, omnibus ſubſidiis, rem periculo non carere fatetur, quam tamen aliquando Societatis ſuae auctoritate & malis artibus conficiendam putat. Intereà tamen in fictitiorum monumentorum numerum cogit Caii Julii Caeſaris Commentarios de Bello Gallico, ut unà cum illis cadant Suetonius, Strabo, Tacitus, Plutarchus, & quicunque veterum Scriptorum ea bella memoraverunt. Quam falſi accuſationem, ut pridem in Societate clam agitatam & excogitatam fuiſſe putem, faciunt haec verba Iſaaci Voſſii, in Reſponſione ad Objecta nuperae Criticae „ Sacrae: (1) Memini, inquit, mihi non ſe„ mel colloquium interceſſiſſe *cum viro coete„ rà prudenti, magnaeque inter ſuos auctorita„ tis*, qui poſt plurium annorum ſaepe repe„ titas cogitationes, luculentam ſatis in Cae„ ſaris de Bello Gallico Commentarios con„ ſcripſiſſe ſe adfirmaret Diſſertationem, qua „ invictiſſimis argumentis falſa eſſe convince„ ret, quaecunque illis continentur libris, & „ copioſè inſuper oſtenderet, Caeſarem nun„ quam tranſiiſſe Alpes, & ne vidiſſe qui„ dem Galliam. Quaerenti mihi quibus ra-

„ tio-

(1) *Pag.* 336. 337.

„ tionibus & teſtibus tantam rem peregiſſet, „ ſatis promptè reſpondit, mille teſtium lo„ co ad hoc probandum ſuffeciſſe ſibi rectos „ bonoſque, quos ſemper ſequeretur, ſen„ ſus.„ Quis fuerit vir ille *prudens*, *magnaeque inter ſuos auctoritatis*, id ego aliis conjiciendum relinquo; certus tamen innui his verbis hominem Loiolitam, iis opinionibus, quas primus omnium Harduïnus palam tueri auſus eſt, addictum; illum fortè, quem non inanem conjectorem, at plus juſto ſuſpicioſum in *Prolùſione* appellavit. Jam pridem profectò moliuntur aliquid Loiolitae in veteres Hiſtorias, neque inter illos tranquillè aevum agitaret Harduïnus, propoſitis in medium tot periculoſis opinionibus, niſi acceptiſſimam Praefectis & Superioribus ſuis viam ea in re ſuſcipiénda iniviſſet. Afferenda ſunt autem & legentium oculis ſubjicienda ea, quae de Caeſaris rebus in Gallia geſtis commentus eſt: „ (1) Caeſaris, inquit, victo„ rias de Oriente videmus in nummis ejus „ conſignari: de Galliis ſimile aliquid non vi„ demus. In colonias Hiſpaniae ac municipia miſſos fuiſſe ab Auguſtis Duumviros, „ ſive annuos, ſive quinquennales, nummi „ docent: in Galliae oppida, quia libera ac „ ſui juris, ob ἀυτονομίας praerogativam, nul-

(1) *Chronol. Vet. Teſt. pag.* 235.

„ los fuiſſe tales magiſtratus à Romanis miſ-
„ ſos, tum ex nummorum ſilentio liquet;
„ tum ex eo, quod in Gallia Comata nulla
„ Romanorum colonia fuit, praeter Lugdu-
„ num: populi verò liberi plurimi, teſte
„ Plinio in deſcriptione Galliae; tametſi non
„ omnes immunes à tributo. Miſſum Pro-
„ praetore Caeſarem, ad emungendas auro
„ has regiones, ad tutandos cum legionibus
„ Galliae Ciſrhenanae limites: quò & Va-
„ rus poſteà, & Druſus, & Tiberius miſſi
„ ſunt; tum ex Plinii libro XXXVI. ſect. VII.
„ colligi poteſt; tum ex eo, quòd bellum
„ civile Caeſaris, Hiſpanienſe, ac cetera
„ Plinius commemorat; quod tamen, ſi Com-
„ mentariis credimus, cetera longè vincit. „
Haec Harduïnus; è cujus placitis, jam nihil erit exploratum in veteribus Hiſtoriis, niſi quodcunque Herodoti, aut Plinii auctoritate fulcietur. Meminerit tamen ſe Ciceronem olim eos inter Scriptores numeraſſe, qui Scholas falſariorum, quas animo ſibi fingit, anteceſſerunt. Is verò Gallicas Caeſaris victorias non ſemel celebravit, at nunquam, puto, luculentius quàm in Oratione in Lucium Piſonem, his verbis, quae vel una ſufficiunt ad refellendam Harduïni temeritatem.
„ (1) Equidem dicam ex animo, Patres Con-
„ ſcripti.

(1) *Tom. III. ed. Graevii, pag. 739. 740. 741.*

„ ſcripti, quod ſentio, & quod vobis au-
„ dientibus ſaepe jam dixi. Si mihi numquam
„ amicus C. Caeſar fuiſſet, ſed ſemper ira-
„ tus: ſi aſpernaretur amicitiam meam, ſe-
„ ſeque mihi implacabilem inexpiabilemque
„ praeberet, tamen ei, cùm tantas res geſ-
„ ſiſſet, gereretque quotidie, non amicus
„ eſſe non poſſem; cujus ego imperio non
„ Alpium vallum contra adſcenſum tranſ-
„ greſſionemque Gallorum, non Rheni foſ-
„ ſam gurgitibus illis redundantem, Ger-
„ manorum immaniſſimis gentibus objicio,
„ & oppono. Perfecit ille, ut ſi montes reſe-
„ diſſent, amnes exaruiſſent, non naturae prae-
„ ſidio, ſed victoriâ ſuâ rebuſque geſtis Ita-
„ liam munitam haberemus. „ Quàm multa ejuſdem argumenti ex Epiſtolis ejuſdem Ciceronis ad Familiares congerere poſſem! illae integrae deſcribendae eſſent, quae ſunt libro VII. ad Trebatium, & VIII. Coelii ad Ciceronem. Expungat itaque Harduïnus Marcum Tullium è numero veterum Scriptorum, alioquin moneo, quod res ipſa clamat, fore ut corruat brevi ſyſtema Severianorum & Archontianorum. Quid enim? (1) Venerem Genetricem, inquit Harduïnus, ad ſtirpem ſuam pertinere non ideò C. Julius Caeſar arbitratus eſt, quòd Templum Veneri Gene-

(1) *Chronologia Vet. Teſt. pag.* 236.

trici dicarit; (1) *neque Julia gens ab Æneâ profluxit, ut creditur; sed gens Octavia*; unde genus Augusti deductum est, *è Phrygiae Regibus descendit, quod Horatius significat, libro 2. satyrâ 5. ubi Augustum*, AB ALTO DEMISSUM GENUS ÆNEA *vocat; tum Virgilius libro 1. Georgicorum, ubi idem dicitur* EINGENS MATERNA TEMPORA MYRTO; *quoniam Æneae parentem fuisse Venerem proditum est ab Homero.* Fuerunt reverà, qui crederent, maternâ myrto apud Virgilium Octaviani Caesaris maternum genus è gente Julia deductum indicari; neque alia in eo loco interpretando potuit esse sententia eruditorum: illa nihilominus interpretatio Harduino displicuit, licet iterum Coelii apud Ciceronem auctoritate nitatur, ubi Caius Caesar libro VIII. Epistolâ XV. earum, quae sunt ad Familiares, *Venere prognatus* nominatur. Faceſſat ergo Cicero, & abeat unà cum aliis in eas officinas, unde malis avibus, & damno Historiarum ante quingentos annos pedem extulit. Magnopere tamen vereor, ut cuiquam Harduinus opera Ciceronis esse commentitia persuadere possit. Videat ergo, & deliberet apud se, quibus artibus, stante Ciceronis auctoritate, cui evertendae, quicquid industriae & laboris adhibeat, nunquam par

(1) *Ibid. pag. 261.*

par erit, ruinas ab eo Scriptore syſtemati ſuo illatas refarcire poſſit.

Quid autem attinet fuſius pertractare reliquas Harduïni in rebus Romanorum deſcribendis ineptias, vanaſque contra fidem omnium Scriptorum, Graecorum & Latinorum, conjectationes (1)? Neronis, ejuſque ſucceſſorum, Galbae, Othonis, Vitellii res geſtas pro arbitrio mutat: (2) Philippum Arabem, quem nonnulli primum omnium Imperatorum Chriſto nomen dediſſe arbitrantur, *è familia Julia* fuiſſe dicit, *cui familiae Galbae fuit aliqua conſanguinitate junctus*; permultaque ejuſmodi affert, quae nullâ auctoritate nituntur, ſummâ licet audaciâ in locum veterum Hiſtoriarum ab Harduïno ſubrogentur. Quae certè omnia in Veteris Teſtamenti Chronologia ita ſcripta ſunt, ut conjectura omnino probabilis in animis legentium neceſſariò oriatur, prolatum iri aliquando ſuppoſititios codices, qui tot incredibilibus Harduïni dictis fidem facere poſſint. Haud enim oblitus eſt commemorare pluribus in locis, ſe permulta quae reticuit, animo & cogitatione complecti. Ita etiam ſub finem operis, attulit nummum Capitolienſium, Lucio Vero Auguſto imperante, percuſſum, in cujus averſa parte haec

 verba

(1) *Chronol. Vet. Teſt. p.* 292, 293. (2) *Ibid. p.* 295.

verba leguntur: ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ. ΖΚΥ. quas posteriores litteras Norisius Cardinalis, Dissertatione tertiâ de Epochis Syro-Macedonum (1), de anno CCCCXXVII. Æræ Capitolienſium in Coele-Syria interpretatur: ipſe verò Harduïnus Graecas has voces, Ζεὺς Καπτωλῖν@ Ὑπέρτατ@, ſive Ὕψις@, ibi ſignificari contendit, & ad Æliam Capitolinam, ſive Hieroſolymam illum nummum omnino pertinere affirmat. Quam Harduïni opinionem, utut à vero abhorrentem, perinde atque complures hujuſmodi alias praetermiſiſſemus, niſi ea, quae ſequuntur, addidiſſet, in quibus neſcio quid veneni latere neceſſe eſt. Haec enim ait: (2) ΖΚΥ. „ Ζεὺς Καπτωλῖν@ Ὑπέρτατος: *Jupiter Capitolinus Altiſſimus*: vel, ſi magis placet, „ Ὕψιστος: unde apud Heſychium alioſque, „ Ὑψιστάριος, αἵρεσις τῶν τὸν ὕψιστον σεβομένων: „ de qua abſque invidia optamus, ut exoriatur aliquis, qui noſtram ſententiam antevertat; illatamque vero Numini injuriam patefaciat.„ Quamnam hîc *illatam vero Numini injuriam* ſuſpicatur, aut ſuſpicari ſe fingit Harduïnus, *optatque abſque invidia*, ut in explicanda hereſi Hypſiſtariorum *exoriatur aliquis, qui ejus ſententiam antevertat?*

(1) *Pag.* 328. *edit. Lipſienſis.* (2) *Chronologia Vet. Teſt. pag.* 298.

tat? In eo, si quid mihi credendum est, nihil optandum, aut metuendum habet: nemo antevertet ejus sententias & portentosas opiniones, quae ejus generis sunt, ut vix cuiquam hominum in mentem venire possint. Neque nos eas antevertemus, quas ne conjectando quidem hoc loco assequi possumus; haeresis tamen illius naturam (1) è Gregorio Nazianzeno, qui solus fermè inter antiquos Scriptores Ecclesiasticos ejus meminit, notam faciemus. Nemini certè perspectior esse potuit Hypsistariorum cultus quàm Gregorio, qui eo patre natus est, qui fuerat in illa haeresi à teneris educatus. Sic itaque Hypsistarios in funebri patris sui laudatione describit: (1) Ῥίζης ἐγένετο βλάσημα οὐκ ἐπαινετῆς, οὐδὲ εὐφυοῦς εἰς εὐσέβειαν . . . . . οὐδὲ ἐν τῷ ὄικῳ τοῦ Θεοῦ πεφυτευμένης, ἀλλὰ ἢ λίαν αὐτόπτου καὶ αὐλοκότου ἐκ δυοῖν τοῖν ἐναντιωτάτοιν συγκεκραμένης, Ἑλληνικῆς τε πλάνης, καὶ νομικῆς τερατείας· ὧν ἀμφοτέρων τὰ μέρη φυγὼν, ἐκ μερῶν συνετέθη. τῆς μὲν γὰρ τὰ εἴδωλα, καὶ τὰς θυσίας ἀποπεμπόμενοι, πρώωσι τὸ πῦρ καὶ τὰ λύχνα, τῆς δὲ τὸ σάββατον αἰδούμενοι, καὶ τὰ περὶ τὰ βρώματα (leg. βρώματα) ἐς πᾶσαν μικρολογίαν τὴν περιτομὴν ἀπομάζουσιν. Ὑψισ-

(1) *Meminit etiam Hypsistariorum Gregorius Nyssenus Oratione II. contra Eunomium, pag. 440. ubi* Ὑψισιανοῖς *vitiosè legitur pro* Ὑψισταρίοις. (2) *Gregorius Nazianzenus, Orat. XIX. pag. 289.*

ρια τοῖς ταπεινοῖς ὄνομα, ἢ ὰ παντελῶς δὴ μόνῳ ἀνοσίοις ἐβάσμῳ. Id est, ex versione Jacobi Billii: „ *Ex radice ortus est minimè* „ *laudabili, nec ad pietatem rectè comparata* „ . . . . *nec in Dei domo plantata; verùm* „ *admodum absurda & prodigiosa, ex duabus* „ *rebus maximè contrariis, hoc est, ex Gentili* „ *errore, & legali vanitate conflata. Quarum* „ *utriusque partes quasdam fugiens, ex quibus-* „ *dam partibus conflata & constituta est. Ete-* „ *nim illius quidem Idola & sacrificia rejicien-* „ *tes, ignem & lucernas colunt; hujus autem* „ *Sabbatum & jejunam quandam à nonnullis* „ *cibis abstinentiam venerantes; Circumcisionem* „ *aspernantur. Atque humiles & abjecti homi-* „ *nes Hypsistariorum nomen sibi tribuunt, ac soli* „ *Omnipotenti venerationem adhibent.* „ Apparet, ni fallor, ex his Gregorii Nazianzeni verbis, reliquias quasdam Persicae Religionis fuisse Hypsistarios, ignicolas quidem, at nihilo secius, Persarum instar, unius summi & Omnipotentis Dei cultores. Talem sanè veterum & recentiorum Persarum Religionem descripsit Hydius in libro de Religione veterum Persarum, allatâ etiam eam in rem illorum librorum auctoritate, quibus ut sacris utuntur coetus ignicolarum, qui in India hodie & Persidè supersunt. Persarum porro Religionem suo adhuc tempore in Cappado-

cia

cia superstitem fuisse, observavit Strabo libro XV. qui se etiam ibi Magorum ceremoniis interfuisse testatur. Docet praetereà Constantinus Imperator, cognomine Porphyrogenitus, in libro de Thematibus Imperii Orientalis, ipsum Cappadociae nomen esse Persicae originis: *Καὶ αὐτὴ γὰρ ἡ Νεοκαισάρεια, ἥ τε Κολώνεια, καὶ ἡ Μελιτηνὴ σύμπασα Καππαδοκία λέγονται· ἐστὶ δὲ τὸ ὄνομα Περσικόν:* „ *Ipsa etiam Neocaesaria, & Colonea,* „ *& Melitene universa, Cappadocia vocantur.* „ *Est verò nomen Persicum.* „

Pervenimus tandem, de quo nobis ipsi non leviter gratulamur, ad finem molestissimi examinis errorum Harduini; qui labor utinam non idem legentium animis taedium ingerat, quod nobis saepenumero fuit in eo subeundo devorandum. Utcunque enim ad rem parati accesseramus, de abjicienda opera non semel in mentem venit, ubi praesertim recordari subibat calumniarum omne genus, quibus Loioliticae Societatis gregalibus persuasum est, se incolumi conscientiâ grassari posse in eos, quos sibi inimicos esse arbitrantur. Verùm enimverò obstirmavi animum, & haec fortiter concoquenda putavi, quodvis calumniarum & contumeliarum genus ferre paratus, modò operâ qualicunque meâ veritas eluceseat, & certissima Religio-

nis

nis pernicies, brevi aliàs eruptura, avertatur. Retuli suprà illa sola, quae Harduïno tum in *Prolusione*, tum in *Veteris Testamenti Chronologia* ad evertendam antiquitatem scripta sunt, allatis, quantum id per brevitatem, quam propoſueram, fieri potuit, argumentis, quibus impii conatus in ipso ortu suo ita impedirentur, ut cuiquam in posterum nocere non possent. Qua in re non nemo fortè mirabitur, haud pauca fuisse praetermissa, nonnulla etiam summa cum brevitate pertractata, in eo facinore describendo & exagitando, cujus simile nullum unquam post hominum memoriam auditum est. In eo certè saepe ipse dubius haesi, etsi hac in lucubratione id mihi & publico sufficere arbitratus sum, si reconditos, ut plurimùm, Harduïni errores retegerem, & efferrem in litteratorum vulgus clandestinas Societatis molitiones. Jam ad eos pertinebit, quibus veritas curae cordique est, opem ferre litteris & Religioni; ejusmodi enim disputationem cum Harduïno ingressi sumus, quâ in controversiam adducantur omnium Christianarum Ecclesiarum non modò Historiae & Antiquitates, verùm etiam certissima quaeque humanitatis & litterarum monumenta. Sublatis enim Patribus, & remoto omni Graecae & Latinae eruditionis apparatu, quid, quaeso,

quaeso, nobis illaesum & incolume remanebit?

Confinxerunt, inquit Harduïnus, Synagogae quaedam nefariae, ante quingentos annos, monumentorum omne genus, quibus continentur quaecunque ad illustrandam rerum gestarum, & dogmatum Historiam hactenus pertinere credita sunt. Innuit praeterea eisdem Auctoribus tribuendam esse Versionem illam, quam Septuaginta Interpretum vocant; nec meliora de Pentateucho Samaritano sentire videtur. Incredibilem denique illi hominum generi tribuit calliditatem & eruditionem, cum certissima evertendae Religionis voluntate conjunctam. Hinc, eodem Harduïno auctore, veterum Ægypti & Assyriae Regum nomina commenti sunt, in quibus utilitate nescio quâ impulsi, Christianae Religionis mysteria sub involucro eorum nominum studiosè occultaverunt. Quae omnia aut facta fuisse, aut fieri potuisse, paulisper Harduïno demus, quid [animus quidem horret id effari, dicam tamen vel invitus] quid, inquam, respondebit objicienti, fabricatas fuisse easdem officinas, non Patres modò, quos vocamus Antiquos, verùm etiam Graecos atque Latinos Novi Testamenti codices? Quò, inquam, confugiet, ubi haec sibi objici videbit, cùm sibi omnem

illi

illi impietati refellendae viam praecluserit, sublatis, quantum in eo fuit, optimis rationibus, & evidentissimis argumentis, quibus assertum eunt eruditi legitimos Evangeliorum, ceterorumque Novi Testamenti librorum natales? At haec fortè nemo erit qui objiciat. Quis hoc Harduïno praestiterit, in hac praesertim, qua vivimus, Christianismi faece, adaucto supra id, quod credi possit, impiorum numero, effusaque in omnes Europae Provincias incredibili hominum copiâ, quorum alii palam mysteria Religionis ludibrio habent, alii latentius, & quasi per cuniculos fidei nostrae arcana aggrediuntur? Sunt enim, proh dolor! permulti, qui Marranâ, quam vocant, stirpe oriundi, avitos errores malè dissimulant, quos si non integros imbiberunt, saltem ita degustavere, ut perditissimas quasque opiniones à veraè pietatis hostibus acceptas amplectantur; & eas summo ubique nisu propagare studeant. Cui hominum generi, quàm volupe aliquando erit fanaticis Harduïni opinionibus abuti, ut compendiosiore viâ Christianismi interitum moliantur! Videat itaque Harduïnus, quos in casses inciderit, & si aliquos Christianae pietatis sensus residuos habet, damnet palam errores suos, quavis haeresi formidabiliores, redeatque cum antiquis Scriptoribus

ribus in gratiam, quibus, pro eo ingenii acumine, quo pollet, longè aptior est illustrandis, quam evertendis.

Quoniam autem haec omnia in Societate nata sunt, novae illud Antiquitatis inducendae consilium jam pridem in Loiolitarum animis agitatum fuisse, demonstrare operae pretium erit. Ipsa sanè ratio, & communis hominum sensus ostendit, non ita aboleri posse Scriptores Ecclesiasticos, quin alii in eorum locum subrogentur. Eorum autem duplex esse genus conjicere possumus; alios nempe, qui Societatis natales antecesserunt; alios, qui à falsariis conficti, aut jam prodierunt, aut opportunitatem expectant, ut tutò in lucem apparere possint. Certum est enim & multis eruditorum Parisiis exploratum, dixisse saepius Harduinum, nihil damni à scriptis suis accepturam esse Traditionem, immò ingens quoddam eorum ope Catholicae Religioni commodum accessurum; cùm omnia Romanae Ecclesiae dogmata, verae Traditionis ope, nullo negotio à viro purioris Antiquitatis gnaro defendi posse contendat. Quam autem Traditionem intelligat, facillimum est odorari: quid enim ei restat abjectis Patribus, nisi ut spurcissimas quasque fabulas, & sequioris aevi mendacia tueatur? Tales sunt veterum Episcoporum Romanorum

Epi-

„ los fuiſſe tales magiſtratus à Romanis miſ-
„ ſos, tum ex nummorum ſilentio liquet;
„ tum ex eo, quod in Gallia Comata nulla
„ Romanorum colonia fuit, praeter Lugdu-
„ num: populi verò liberi plurimi, teſte
„ Plinio in deſcriptione Galliae; tametſi non
„ omnes immunes à tributo. Miſſum Pro-
„ praetore Caeſarem, ad emungendas auro
„ has regiones, ad tutandos cum legionibus
„ Galliae Ciſrhenanae limites: quò & Va-
„ rus poſteà, & Druſus, & Tiberius miſſi
„ ſunt; tum ex Plinii libro XXXVI. ſect. VII.
„ colligi poteſt; tum ex eo, quòd bellum
„ civile Caeſaris, Hiſpanienſe, ac cetera
„ Plinius commemorat; quod tamen, ſi Com-
„ mentariis credimus, cetera longè vincit. „
Haec Harduïnus; è cujus platitis, jam nihil erit exploratum in veteribus Hiſtoriis, niſi quodcunque Herodoti, aut Plinii auctoritate fulcietur. Meminerit tamen ſe Ciceronem olim eos inter Scriptores numeraſſe, qui Scholas falſariorum, quas animo ſibi fingit, anteceſſerunt. Is verò Gallicas Caeſaris victorias non ſemel celebravit, at nunquam, puto, luculentius quàm in Oratione in Lucium Piſonem, his verbis, quae vel una ſufficiunt ad refellendam Harduïni temeritatem.
„ (1) Equidem dicam ex animo, Patres Con-
„ ſcripti,

(1) *Tom. III. ed. Graevii, pag. 739. 740. 741.*

„ ſcripti, quod ſentio, & quod vobis au-
„ dientibus ſaepe jam dixi. Si mihi numquam
„ amicus C. Caeſar fuiſſet, ſed ſemper ira-
„ tus: ſi aſpernaretur amicitiam meam, ſe-
„ ſeque mihi implacabilem inexpiabilemque
„ praeberet, tamen ei, cùm tantas res geſ-
„ ſiſſet, gereretque quotidie, non amicus
„ eſſe non poſſem; cujus ego imperio non
„ Alpium vallum contra adſcenſum tranſ-
„ greſſionemque Gallorum, non Rheni foſ-
„ ſam gurgitibus illis redundantem, Ger-
„ manorum immaniſſimis gentibus objicio,
„ & oppono. Perfecit ille, ut ſi montes reſe-
„ diſſent, amnes exaruiſſent, non naturae prae-
„ ſidio, ſed victoriâ ſuâ rebuſque geſtis Ita-
„ liam munitam haberemus. „ Quàm multa ejuſdem argumenti ex Epiſtolis ejuſdem Ciceronis ad Familiares congerere poſſem! illae integrae deſcribendae eſſent, quae ſunt libro VII. ad Trebatium, & VIII. Coelii ad Ciceronem. Expungat itaque Harduïnus Marcum Tullium è numero veterum Scriptorum, alioquin moneo, quod res ipſa clamat, fore ut corruat brevi ſyſtema Severianorum & Archontianorum. Quid enim? (1) Venerem Genetricem, inquit Harduïnus, ad ſtirpem ſuam pertinere non ideò C. Julius Caeſar arbitratus eſt, quòd Templum Veneri Gene-

(1) *Chronologia Vet. Teſt. pag.* 236.

trici dicatit; (1) *neque Julia gens ab Æneâ profluxit, ut creditur*; sed *gens Octavia*; unde genus Augusti deductum est, *è Phrygiae Regibus descendit, quod Horatius significat, libro 2. satyrâ 5. ubi Augustum*, AB ALTO DEMISSUM GENUS ÆNEA *vocat*; *tum Virgilius libro 1. Georgicorum, ubi idem dicitur* CINGENS MATERNA TEMPORA MYRTO; *quoniam Æneae parentem fuisse Venerem proditum est ab Homero.* Fuerunt reverà, qui crederent, maternâ myrto apud Virgilium Octaviani Caesaris maternum genus è gente Julia deductum indicari; neque alia in eo loco interpretando potuit esse sententia eruditorum: illa nihilominus interpretatio Harduïno displicuit, licet iterum Coelii apud Ciceronem auctoritate nitatur, ubi Caius Caesar libro VIII. Epistolâ XV. earum, quae sunt ad Familiares, *Venere prognatus* nominatur. Faceſſat ergo Cicero, & abeat unà cum aliis in eas officinas, unde malis avibus, & damno Historiarum ante quingentos annos pedem extulit. Magnopere tamen vereor, ut cuiquam Harduïnus opera Ciceronis esse commentitia persuadere possit. Videat ergo, & deliberet apud se, quibus artibus, stante Ciceronis auctoritate, cui evertendae, quicquid industriae & laboris adhibeat, nunquam par

(1) *Ibid. pag.* 262.

par erit, ruinas ab eo Scriptore syſtemati ſuo illatas reſarcire poſſit.

Quid autem attinet fuſius pertractare reliquas Harduïni in rebus Romanorum deſcribendis ineptias, vanaſque contra fidem omnium Scriptorum, Graecorum & Latinorum, conjectationes (1)? Neronis, ejuſque ſucceſſorum, Galbae, Othonis, Vitellii res geſtas pro arbitrio mutat: (2) Philippum Arabem, quem nonnulli primum omnium Imperatorum Chriſto nomen dediſſe arbitrantur, *è familia Julia* fuiſſe dicit, *cui familiae Galbae fuit aliqua conſanguinitate junctus*; permultaque ejuſmodi affert, quae nullâ auctoritate nituntur, ſummâ licet audaciâ in locum veterum Hiſtoriarum ab Harduïno ſubrogentur. Quae certè omnia in Veteris Teſtamenti Chronologia ita ſcripta ſunt, ut conjectura omnino probabilis in animis legentium neceſſariò oriatur, prolatum iri aliquando ſuppoſititios codices, qui tot incredibilibus Harduïni dictis fidem facere poſſint. Haud enim oblitus eſt commemorare pluribus in locis, ſe permulta quae reticuit, animo & cogitatione complecti. Ita etiam ſub finem operis, attulit nummum Capitolienſium, Lucio Vero Auguſto imperante, percuſſum, in cujus averſa parte haec

(1) *Chronol. Vet. Teſt. p.* 292, 293. (2) *Ibid. p.* 295.

verba leguntur: ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ. ΖΚΥ. quas posteriores litteras Norisius Cardinalis, Dissertatione tertiâ de Epochis Syro-Macedonum (1), de anno CCCCXXVII. Aerae Capitolienſium in Coele-Syria interpretatur: ipſe verò Harduïnus Graecas has voces, Ζεὺς Καπιτωλῖνος Ὕπιστος, ſive Ὕψιστος, ibi ſignificari contendit, & ad Æliam Capitolinam, ſive Hieroſolymam illum nummum omnino pertinere affirmat. Quam Harduïni opinionem, utut à vero abhorrentem, perinde atque complures hujuſmodi alias praetermiſiſſemus, niſi ea, quae ſequuntur, addidiſſet, in quibus neſcio quid veneni latere neceſſe eſt. Haec enim ait: (2) ΖΚΥ. „ Ζεὺς Καπιτωλῖνος Ὕπιστος: *Jupiter Capitolinus Altiſſimus*: vel, ſi magis placet, „ Ὕψιστος: unde apud Heſychium alioſque, „ Ὑψιστάριος, αἵρεσις τῶν τὸν ὕψιστον σεβομένων: „ de qua abſque invidia optamus, ut exoriatur aliquis, qui noſtram ſententiam anteverſat; illatamque vero Numini injuriam patefaciat.„ Quamnam hîc *illatam vero Numini injuriam* ſuſpicatur, aut ſuſpicari ſe fingit Harduïnus, *optatque abſque invidia*, ut in explicanda haereſi Hypſiſtariorum *exoriatur aliquis, qui ejus ſententiam anteverſat?*

(1) *Pag.* 328. *edit. Lipſienſis.* (2) *Chronologia Vet. Teſt. pag.* 298.

tat? In eo, si quid mihi credendum est, nihil optandum, aut metuendum habet: nemo antevertet ejus sententias & portentosas opiniones, quae ejus generis sunt, ut vix cuiquam hominum in mentem venire possint. Neque nos eas antevertemus, quas ne conjectando quidem hoc loco assequi possumus; haeresis tamen illius naturam (1) è Gregorio Nazianzeno, qui solus fermè inter antiquos Scriptores Ecclesiasticos ejus meminit, notam faciemus. Nemini certè perspectior esse potuit Hypsistariorum cultus quàm Gregorio, qui eo patre natus est, qui fuerat in illa haeresi à teneris educatus. Sic itaque Hypsistarios in funebri patris sui laudatione describit: (1) Ῥίζης ἐγένετο βλάσημα ἀκ ἐπαινετῆς, κὰδὲ εὐφυοῦς εἰς εὐσέβειαν . . . . . κὰδὲ ἐν τῷ ὄικῳ τῦ Θεῦ πεφυτευμένης, ἀλλὰ κ λίαν αὐτόπτ κὰ ἀλλοκότ ἐκ δυοῖν τοῖν ἐναντιωτάτοιν συγκεκραμένης, Ἑλληνικῆς τε πλάνης, κ νομικῆς τερατείας· ὧν ἀμφοτέρων τὰ μέρη φυγὼν, ἐκ μερῶν συνετέθη. τῆς μὲν γὰρ τὰ εἴδωλα, κὰ τὰς θυσίας ἀποπεμπόμενοι, τιμῶσι τὸ πῦρ κὰ τὰ λύχνα, τῆς δὲ τὸ σάββατον αἰδούμενοι, κ τὴν περὶ τὰ βρώματα (leg. βρώματα) ἐς πᾶσι μικρολογίαν τὴν περιτομὴν ἀπαιτίζουσιν. Ὑψισ-

(1) *Meminit etiam Hypsistariorum Gregorius Nyssenus Oratione II. contra Eunomium, pag. 440. ubi* Ὑψισιανοῖς *vitiosè legitur pro* Ὑψισταρίοις. (2) *Gregorius Nazianzenus, Orat. XIX. pag. 289.*

ρια τοῖς ταπεινοῖς ὄνομα, ἢ ὁ παλαιχρόνιος δὴ μόρος ἀνοήτοις ἐπιβάσεμος. Id est, ex versione Jacobi Billii: „ *Ex radice ortus est minimè* „ *laudabili, nec ad pietatem rectè comparata* „ . . . . . *nec in Dei domo plantata; verùm* „ *admodum absurda & prodigiosa, ex duabus* „ *rebus maximè contrariis, hoc est, ex Gentili* „ *errore, & legali vanitate conflata. Quarum* „ *utriusque partes quasdam fugiens, ex quibus-* „ *dam partibus conflata & constituta est. Ete-* „ *nim illius quidem Idola & sacrificia rejicien-* „ *tes, ignem & lucernas colunt; hujus autem* „ *Sabbatum & jejunam quandam à nonnullis* „ *cibis abstinentiam venerantes; Circumcisionem* „ *aspernantur. Atque humiles & abjecti homi-* „ *nes Hypsistariorum nomen sibi tribuunt, ac soli* „ *Omnipotenti venerationem adhibent.* „ Apparet, ni fallor, ex his Gregorii Nazianzeni verbis, reliquias quasdam Persicae Religionis fuisse Hypsistarios, ignicolas quidem, at nihilo secius, Persarum instar, unius summi & Omnipotentis Dei cultores. Talem sanè veterum & recentiorum Persarum Religionem descripsit Hydius in libro de Religione veterum Persarum, allatâ etiam eam in rem illorum librorum auctoritate, quibus ut sacris utuntur coetus ignicolarum, qui in India hodie & Persidè supersunt. Persarum porro Religionem suo adhuc tempore in Cappadocia

cia superstitem fuisse, observavit Strabo libro XV. qui se etiam ibi Magorum ceremoniis interfuisse testatur. Docet praetereà Constantinus Imperator, cognomine Porphyrogenitus, in libro de Thematibus Imperii Orientalis, ipsum Cappadociae nomen esse Persicae originis: *Καὶ αὐτὴ γὰρ ἡ Νεοκαισάρεια, ἥ τε Κολώνεια, καὶ ἡ Μελιτηνὴ σύμπασα Καππαδοκία λέγονται· ἐστὶ δὲ τὸ ὄνομα Περσικόν:* „ *Ipsa etiam Neocaesaria, & Colonea,* „ *& Melitene universa, Cappadocia vocantur.* „ *Est verò nomen Persicum.* „

Pervenimus tandem, de quo nobis ipsi non leviter gratulamur, ad finem molestissimi examinis errorum Harduini; qui labor utinam non idem legentium animis taedium ingerat, quod nobis saepenumero fuit in eo subeundo devorandum. Utcunque enim ad rem parati accesseramus, de abjicienda opera non semel in mentem venit, ubi praesertim recordari subibat calumniarum omne genus, quibus Loioliticae Societatis gregalibus persuasum est, se incolumi conscientiâ grassari posse in eos, quos sibi inimicos esse arbitrantur. Verùm enimverò obfirmavi animum, & haec fortiter concoquenda putavi, quodvis calumniarum & contumeliarum genus ferre paratus, modò operâ qualicunque meâ veritas eluceseat, & certissima Religionis

nis pernicies, brevi aliàs eruptura, avertatur. Retuli ſuprà illa ſola, quae Harduïno tum in *Proluſione*, tum in *Veteris Teſtamenti Chronologia* ad evertendam antiquitatem ſcripta ſunt, allatis, quantum id per brevitatem, quam propoſueram, fieri potuit, argumentis, quibus impii conatus in ipſo ortu ſuo ita impedirentur, ut cuiquam in poſterum nocere non poſſent. Qua in re non nemo fortè mirabitur, haud pauca fuiſſe praetermiſſa, nonnulla etiam ſumma cum brevitate pertractata, in eo facinore deſcribendo & exagitando, cujus ſimile nullum unquam poſt hominum memoriam auditum eſt. In eo certè ſaepe ipſe dubius haeſi, etſi hac in lucubratione id mihi & publico ſufficere arbitratus ſum, ſi reconditos, ut plurimùm, Harduïni errores retegerem, & efferrem in litteratorum vulgus clandeſtinas Societatis molitiones. Jam ad eos pertinebit, quibus veritas curae cordique eſt, opem ferre litteris & Religioni; ejuſmodi enim diſputationem cum Harduïno ingreſſi ſumus, quâ in controverſiam adducantur omnium Chriſtianarum Eccleſiarum non modò Hiſtoriae & Antiquitates, verùm etiam certiſſima quaeque humanitatis & litterarum monumenta. Sublatis enim Patribus, & remoto omni Graecae & Latinae eruditionis apparatu, quid, quaeſo,

quaeſo, nobis illaeſum & incolume remanebit?

Confinxerunt, inquit Harduïnus, Synagogae quaedam nefariae, ante quingentos annos, monumentorum omne genus, quibus continentur quaecunque ad illuſtrandam rerum geſtarum, & dogmatum Hiſtoriam hactenus pertinere credita ſunt. Innuit praeterea eiſdem Auctoribus tribuendam eſſe Verſionem illam, quam Septuaginta Interpretum vocant; nec meliora de Pentateucho Samaritano ſentire videtur. Incredibilem denique illi hominum generi tribuit calliditatem & eruditionem, cum certiſſima evertendae Religionis voluntate conjunctam. Hinc, eodem Harduïno auctore, veterum Ægypti & Aſſyriae Regum nomina commenti ſunt, in quibus utilitate neſcio quâ impulſi, Chriſtianae Religionis myſteria ſub involucro eorum nominum ſtudioſè occultaverunt. Quae omnia aut facta fuiſſe, aut fieri potuiſſe, pauliſper Harduïno demus, quid [animus quidem horret id effari, dicam tamen vel invitus] quid, inquam, reſpondebit objicienti, fabricatas fuiſſe eaſdem officinas, non Patres modò, quos vocamus Antiquos, verùm etiam Graecos atque Latinos Novi Teſtamenti codices? Quò, inquam, confugiet, ubi haec ſibi objici videbit, cùm ſibi omnem

illi

illi impietati refellendae viam praecluserit, sublatis, quantum in eo fuit, optimis rationibus, & evidentissimis argumentis, quibus assertum eunt eruditi legitimos Evangeliorum, ceterorumque Novi Testamenti librorum natales? At haec fortè nemo erit qui objiciat. Quis hoc Harduïno praestiterit, in hac praesertim, qua vivimus, Christianismi faece, adaucto supra id, quod credi possit, impiorum numero, effusaque in omnes Europae Provincias incredibili hominum copiâ, quorum alii palam mysteria Religionis ludibrio habent, alii latentius, & quasi per cuniculos fidei nostrae arcana aggrediuntur? Sunt enim, proh dolor! permulti, qui Marranâ, quam vocant, stirpe oriundi, avitos errores malè dissimulant, quos si non integros imbiberunt, saltem ita degustavere, ut perditissimas quasque opiniones à veraè pietatis hostibus acceptas amplectantur; & eas summo ubique nisu propagare studeant. Cui hominum generi, quàm volupe aliquando erit fanaticis Harduïni opinionibus abuti, ut compendiosiore viâ Christianismi interitum moliantur! Videat itaque Harduïnus, quos in casses inciderit, & si aliquos Christianae pietatis sensus residuos habet, damnet palam errores suos, quavis haeresi formidabiliores, redeatque cum antiquis Scriptoribus

ribus in gratiam, quibus, pro eo ingenii acumine, quo pollet, longè aptior est illustrandis, quam evertendis.

Quoniam autem haec omnia in Societate nata sunt, novae illud Antiquitatis inducendae consilium jam pridem in Loiolitarum animis agitarum fuisse, demonstrare operae pretium erit. Ipsa sanè ratio, & communis hominum sensus ostendit, non ita aboleri posse Scriptores Ecclesiasticos, quin alii in eorum locum subrogentur. Eorum autem duplex esse genus conjicere possumus; alios nempe, qui Societatis natales antecesserunt; alios, qui à falsariis conficti, aut jam prodierunt, aut opportunitatem expectant, ut tutò in lucem apparere possint. Certum est enim & multis eruditorum Parisiis exploratum, dixisse saepius Harduinum, nihil damni à scriptis suis accepturam esse Traditionem, immò ingens quoddam eorum ope Catholicae Religioni commodum accessurum; cùm omnia Romanae Ecclesiae dogmata, verae Traditionis ope, nullo negotio à viro purioris Antiquitatis gnaro defendi posse contendat. Quam autem Traditionem intelligat, facillimum est odorari: quid enim ei restat abjectis Patribus, nisi ut spurcissimas quasque fabulas, & sequioris aevi mendacia tueatur? Tales sunt veterum Episcoporum Romanorum

Epi-

Epistolae Decretales, quae in ipsa Italia, apud eruditos ferè omnes, fide omni, & Antiquitatis opinione jam pridem exciderunt; etsi eas erudito volumine contra Centuriatores Magdeburgenses Franciscus Turrianus Jesuïta defendere conatus sit, luculenter posteà confutatus à Davide Blondello, viro eruditissimo, eo libro, cui titulum fecit, *Turrianum & Pseudo-Isidorum vapulantes.* Eo praecipuè argumento Blondellus usus est, quòd Decretalium Epistolarum Auctor Scripturae Sacrae verba allegaverit è Vulgata Versione, quae primo, secundo & tertio post Christum natum saeculis nulla fuit; cùm sola Septuaginta Interpretum Versio, ad Hieronymi usque aetatem, in frequenti usu fuerit omnium Ecclesiarum. Observavit praeterea idem Blondellus, integras è Patrum scriptis sententias in illis Epistolis exstare; unde manifestò sequiori aetate fraudis illius architectum vixisse agnoscitur, summâ hominem ignorantiâ, qui etsi corruptâ admodum Latinitate utebatur, non potuit tamen id perficere, quod susceperat, quin varios ex aliis Scriptoribus centones operi suo ineptè adsueret. Evertunt itaque haec duo argumenta omnem omnino Decretalium Epistolarum auctoritatem. Porro quî melius eis subveniri potuit, quàm assignatâ Vulgatae

tae Verſioni Apoſtolicâ antiquitate, & ſublatis è medio illis Scriptoribus, quos Iſidorum, aut quemvis alium Decretalium Auctorem compilaſſe, jam pridem eruditi deprehenderunt? Neque credendum eſt, tanti momenti rem illam haud fuiſſe viſam Loiolitis, propter quam tot venerandae Antiquitatis monumenta loco moverentur. Quicquid ſibi auctoritatis Romani Epiſcopi à nono ſaeculo arrogarunt, quicquid ab eadem aetate ſuperſtitionum invaluit, id totum ei fundamento innixum eſt; nec nutare coepit, quanquam in dubium ſaepè aliàs adducta Decretalium fides, niſi poſtquam immedicabili jam vulnere Latinas Eccleſias afflixerant. Noſtris etiam temporibus, agnitâ licet fraude, nondum earum Epiſtolarum vis omnis obſolevit, quae in Jure, quod vocant Canonico, locum planè honorificum nactae ſunt, & quarum frequens eſt apud Latinos Canonum Collectores commemoratio.

Reddendam ergo ineptae illi Decretalium Farragini veterem auctoritatem Jeſuïtae ſtatuerunt, qua in re Harduïnum nimis facilem & obſequentem habuerunt. Huc certè eum collineare, fidem faciunt haec ejus verba, è *Chronologia Veteris Teſtamenti*: (1) „Hoc, „inquit, interim profitemur (quod jam alibi „prae-

(1) *Chronol. Vet. Teſtamenti, pag.* 7. & 8.

„ praefati ſumus,) tametſi in hoc opere pau-
„ corum admodum Scriptorum teſtimonio
„ utimur ad faciendam fidem: tamen nemi-
„ nem unquam à nobis velut ſuppoſititium
„ repudiatum iri aliquando, aut eâ notâ inu-
„ rendum eſſe; niſi quem nobis conſtiterit
„ indubitatis argumentis, fidem eam labe-
„ factare conatum fuiſſe, quae de Dei exi-
„ ſtentia, natura, & proprietatibus ſive at-
„ tributis; de tribus perſonis in unica ſim-
„ plici eſſentia realiter inter ſe diſtinctis; de
„ Chriſto Deo homine; de ſacramentorum
„ numero, vi, & efficientia; de Epiſcopo-
„ rum ſupra Presbyteros praerogativa, ac
„ proprio charactere; de ceteris Religionis
„ Chriſtianae capitibus, per traditionem ab
„ Apoſtolis, & *Catholicae Eccleſiae Epiſco-*
„ *pis*, uſque ad nos dimanavit. Itaque ſi
„ quis fortaſſis adverſum nos exferere ſtilum
„ voluerit, *ne ille nobis vetuſtos Scriptores* op-
„ ponat, à quibus diſſidemus; nam eſſe plu-
„ rimos, ultrò confitemur; quibus quòd
„ minus quàm Libris Sacris credimus, hanc
„ unam (ut dictum eſt) in praeſenti cauſam
„ afferimus, *dilatis in aliud tempus ceteris*;
„ quod nemo eorum vel cum *Vulgata Sacrae*
„ *Scripturae editione*, *hoc eſt*, *cum Verbo Dei*,
„ quod unum agnoſci ſacro-ſancta Synodus
„ Tridentina juſſit; ac ne cum Hebraeo qui-
„ dem

„ dem fonte consentiat. Quae vel una ra-
„ tio praestare debet, ut arbitramur, ne
„ fraudi nobis sit, aut vitio vertatur, quòd
„ ceteros Scriptores tantisper seponimus; iis
„ autem constantissimè adhaerescimus, *qui*
„ *cum fidei nostrae regula mirificè consonant.*„
Haec Harduinus: quibus verbis nescio an aliquid afferri possit, quo certius aut evidentius Decretalium Epistolarum fides adstruatur: qui sunt enim abjectis omnibus omnino Patribus, *Catholicae* illi *Ecclesiae Episcopi*, quorum *fides ad nos usque dimanavit*, nisi Romani Praesules, quorum nomine Isidorus fictitias illas Epistolas inscripsit? Eccur etiam dissidet Harduinus à Patribus Graecis & Latinis, quòd *nemo eorum cum Vulgata Sacrae Scripturae editione consentiat*, nisi ut Decretales, *quae cum fidei* Loiolitica*e regula mirificè consonant*, neque ab ea editione discedunt, legitimum Antiquitatis esse foetum aliquando pronuntiet?

Ordientur ergo suppositititiae Romanorum Praesulum Epistolae traditionum Harduinianarum seriem, quas Epistolas, ut credere par est, eodem jure comitabuntur Pseudo-Areopagitae Dionysii Platonicae contemplationes, (1) quas non nemo eruditorum valde

(1) *Vir eruditissimus Johannes Albertus Fabricius in Prolegomenis in Vitam Procli, pag.* 12. *Stillingfleetus, Anglicae*

de probabili opinione cenſet à quodam Apollinarii diſcipulo, ſaeculo V. ineunte fuiſſe confictas. Faciunt utique illae non mediocriter ad fulciendas opiniones quaſdam de Angelis, de dignitate Epiſcoporum, de antiquitate Monaſtici Ordinis, ceteraſque nonnullas, quas Loiolitae magnoperè defenſas volunt. Itaque Pſeudo-Dionyſius, Auctor certè futilis & meritò contemnendus, acerrimos vindices nactus eſt viros quoſdam eruditos è Societate Jeſuïtarum. Eorum ferè praecipuos collectos videas in pulcherrima Dionyſii editione, quae operâ & labore Balthaſaris Corderii Loiolitae, Antverpiae prodiit, anno Chriſti MDCXXXIV. Marcum Antonium Delrium jam ſuprà nominavimus; at poſt eum non minori induſtriâ in eo Scriptore aſſerendo ab eruditorum aequiſſimis accuſationibus laborarunt ex eadem Societate Petrus

Anglia lumen, praematuro fato nuper extinctum, in Reſponſ. ad Creſſii Apologiam de Fanaticiſmo Eccleſiae Romanae, cap. 2. pag. 130. obſervat inter Apollinaris, sui ſcripta Pſeudo-Areopagitae tribuebat celeberrimus Caveus, diſcipulos fuiſſe, unum Dionyſii, & alium Timothei nomine: hinc, pag. 133. non abſurdè conjicit, Dionyſium iſtum ſub antiqui illius Dionyſii Areopagitae nomine, ſcripta ſua ex Plotino, Porphyrio, Jamblicho, & ſimilibus magnam partem ſive derivata, ſive incruſtata edidiſſe, & Timotheo, ſuo nempe συμφοιτητῇ, ſed qui feliciſſimo caſu cognominis eſſet veteri Apoſtoli Pauli diſcipulo, dedicaſſe.

Petrus Halloix Belga, Petrus Lanſſelius, qui poſterior, ut fabulas fabulis defenderet, Dionyſium Areopagitam Lutetiae Pariſiorum Evangelium annuntiaſſe, ex infinitis, ut ait, miraculis in Gallia ejus ope patratis, evidenter demonſtrari arbitratur: „(1) Infi„nita, inquit, prope miracula patrata ſunt „Dionyſii noſtri meritis & gratiâ apud „Deum: evelli non poteſt, aut exuri ex „animo, haec opinio Areopagitam hunc eſſe „Dionyſium, quem omnium ordinum ho„mines legitimis honoribus celebrant. Eſt„ne veriſimile, ſi alius quiſpiam ſit Diony„ſius, qui Lutetiae Pariſiorum praeſederit, „eum honore ſpoliari, laudem ejus trans„ferri in alium, tot annis inter ſuos ignotum „jacere?„ Haec Lanſſelius, qui longè ſapientius eſſet argumentatus, ſi miſſâ turpi ſuperſtitione, haec miracula nunquam facta fuiſſe dixiſſet, quae incredibilibus fabulis, & vanis otioſorum hominum fictionibus innituntur. Parum abfuit quin praeterirem Leonardum Leſſium, Scriptorem magni nominis inter Loiolitas, qui pluribus argumentis ſcripta Dionyſii Auctorem non mentiri, confirmare conatus eſt. Apparet eo in homine mirabilis Pſeudo-Dionyſii amor, quem

(1) *Diſſutat. Apolog. de S. Dionyſio, Tom. II. Operum, pag.* 476.

fuiſſe ait eminentiſſimae ſapientiae & magnae ſanctitatis virum. „(1) Legi, inquit, „ſaepius, & accuratè omnia expendi, ita„que mihi placuit, ut hunc Dionyſium jam „à triginta ſex annis in Patronum delegerim, „& ſemper in ſacrificio Miſſae nominatim „invocarim, mihi ejus ſapientiam & ſpiri„tum imprecans.„ Quibus in verbis neſcio quo caſu factum eſt, ut illo *imprecandi* verbo Leſſius aptè admodum & convenienter uſus ſit.

Haud erit ergo difficile Harduino & ejus gregalibus, reſtituere Dionyſium in priſtinos honores, Auctorem à tot eruditis hominibus defenſum, de cujus praetereà antiquitate nemo eſt hodie in Orientalibus Eccleſiis, qui vel minimùm ambigat; pro quo praetereà plurimi, qui aliàs in Jeſuitarum verba jurare addicti non ſunt, mirâ ſimplicitate aut ignorantiâ viri, tanquam pro focis & aris decertant. Objiciebant olim eruditi, incognitum fuiſſe prioribus Eccleſiae ſaeculis Dionyſium, neque ejus ſcriptorum meminiſſe Euſebium in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Hieronymum in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Quae argumenta magni olim apud omnes roboris, in Harduini ſyſtemate planè ficulnea ſunt; maximè, cùm in Scriptore quo-

(1) *In Epiſt. ad Lanſſelium Diſp. Apol. pag.* 483.

quodam, quem Hiſpani Loiolitae jam ante ſaeculum confinxerunt, perhonorifica Dionyſii Areopagitae, & ejus ſcriptorum mentio occurrat.

Quae poſterius dicta quò clarius explicentur, retegenda mihi eſt hoc loco fraus horribilis, quâ majorem nullam unquam inter Chriſtianos auditam fuiſſe, meritò affirmaverim.

Vixit ante centum annos in Hiſpania vir quidam è grege Loiolitarum, patriâ Toletanus, cui Hieronymo Romano de la Higuera nomen fuit. Is, cùm doleret, immumera quaedam temporibus ſuis apud Pontificios ſtabilita reperiri, quae antiquitate fulciri non poſſent, neque id profiteri vellet, quod ab alio ex eadem Societate veritas extorſerat, (1) *quaedam poſterioribus temporibus ſecus conſtituta eſſe in Eccleſia, quàm initio haberent*, ad veteres libros confingendos animum appellere decrevit. Quod ipſum ita praeſtitit, ut multos in Hiſpania homines parum eruditos mirum in modum illuſerit, etſi malè confictas fraudes nonnulli odorati ſint, quos tamen Inquiſitionis metus impedivit, quo minus ſententiam ſuam liberè profiteren-

(1) *Greg. Valentia, Tom. IV. Diſput.* VI *quaeſt.* VII. *puncto* 5. § 9 *pag.* 1283. *Valentia rectius habet, ubi* ſecus *ſcripſimus eâdem ſententiâ.*

tur. Verùm totius fraudis hiſtoriam Nicolai Antonii, Canonici Hiſpalenſis, verbis infrà adſcripturus ſum, qui cùm Romae ageret, majore libertate uti potuit in Toletani Loiolitae fraude retegenda, quàm ſi in Hiſpania inter populares ſuos eo tempore degiſſet.

Scripſerat Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quem Dextro, Paciani Barcinonenſis Epiſcopi filio, nuncupavit, eundem Dextrum *Omnimodam Hiſtoriam ad ſe texuiſſe*, quam tamen ſe nondum legiſſe teſtatur. Nemo praetereà Veterum poſt Hieronymum illius uſquam Hiſtoriae mentionem injecit. Hinc tamen natum eſt Higuerae conſilium inſtaurandi in uſum gentis & Eccleſiae ſuae operis aut dudum deperditi, aut quod fortè nunquam in lucem exierat. At fraudem integram minimè ſuſpecti teſtis Nicolai Antonii verba manifeſtius declarabunt.

„ (1) Omnimodam Dextri Hiſtoriam in „ deperditis habuere undecim ferè ſaeculo- „ rum, qui his delectarentur ſtudiis homi- „ nes, quorum quidem ad aures nihil de „ Dextro & ſcriptis ejus aliud, quàm quod „ ab Hieronymo erga eum amor ac viri fama „ expreſſerat, perveniſſe legimus. Quum „ repentè dum retrò proximum exiret ſaecu- „ lum,

(1) *Nicolaus Antonius, Biblioth. Hiſpan. Tom. II. parte.* 1. *c.* VIII.

„ lum, percrebrescere rumor coepit de in-
„ venta in Germaniae quodam angulo me-
„ morata Historia. Auctor ei rei Jesuitarum
„ Sodalis quidam, Hieronymus Romanus de
„ la Higuera nomine, Toletanus patriâ, un-
„ dique munitus vir subsidiis curiosae omnis,
„ quâ historica constat res, doctrinae.

„ Amicis hic nuntiavit primùm, atque in-
„ de amicorum ope quemvis alium per Hi-
„ spanias certiorem fieri voluit, remissum
„ sibi à Thoma de Torralba, ejusdem So-
„ cietatis è Germaniae Wormatia urbe,
„ Dextri Chronicon, sive Historiam Omni-
„ modam, unà cum M. Maximi, aliorum-
„ que Continuatorum fragmentis. Offen-
„ disse aiebat hunc Torralbam in quendam
„ urbis istius civem, dum inter Germanos
„ peregrinatur, qui penes se, Fuldensi è
„ Bibliotheca, ut referebat, acceptum hunc
„ Thesaurum servabat; quem cùm redimere
„ ab eo vellet, frustra fuit, codicem exscri-
„ bendi permissione contentus. Atque liu-
„ jus exempli à Torralba excepti, sibique
„ officiosè, veluti ad praeceptorem, anno
„ MDXCIV. transmissi, possessionem ubi-
„ que jactabat, communicans inde per lit-
„ teras doctis sibique familiaribus aliquot vi-
„ ris, fragmenta quaedam, quae ad momen-
„ ta eorum pertinerent, aegrè se continens

„ prae gaudio Higuera. Idem tamen poſt
„ aliquot annos exempla alia hujus ſui exem-
„ pli è manibus abire permiſit. Quorum
„ aliquod Caeſar-Auguſtae repertum, Joan-
„ nes Calderon Franciſcanus anno MDCXIX.
„ typis in eadem urbe committi curavit pri-
„ mus.

„ Viſa tamen in publica hominum luce il-
„ luſtrium horum virorum, aliàs celebrium,
„ tam propitia ſecundaque rebus Hiſpaniae
„ noſtris monumenta, veluti ex orci fauci-
„ bus erepta, mirum quantum exſultare, ſub-
„ ſultare omnes, qui aliquo honoris ſenſu
„ pietatiſve tangerentur, ſtatim fecere; Pro-
„ vincias, urbes, Eccleſiarum Collegia ſa-
„ cra, Religioſorum hominum coetus efferre
„ ſe, ac nova ſibi delata in grenium, cla-
„ riſſimorum civium, ſodalium, tutelarium,
„ inclytarum actionum, geſtorumque olim
„ famae celebris ornamenta jactare, confer-
„ reque invicem & gratulari. Tanquam ſi
„ Pyrenaei ſaltus igne iterum correpti, Hi-
„ ſpaniae, quanta eſt, fines omnes metal-
„ lorum liquefactorum torrentibus inunda-
„ viſſent. Hinc eruditiores curâ etiam ſol-
„ licitare, ut ingruentem laetitiam non cae-
„ câ mente, ſed oculatâ, ſuique ac ſuorum
„ bonorum conſciâ, ſuſcepiſſe viderentur.

„ Eodem enim ferè tempore Rodericus
„ Carus,

„ Carus, Utrarienſis Presbyter; Franciſcus
„ Bivarius, Ciſtercienſis Monachus; Tho-
„ mas Tamaius Vargas, regius Hiſtoricus,
„ propugnandae, exponendae, illuſtrandae,
„ atque ornandae huic ſpartae induſtriam om-
„ nem, ingeniique atque eruditionis vires,
„ quibus pollebant maximis, contulere. Ca-
„ rus expedivit certè rem, edito Dextri ac
„ Maximi Syſtemate ex collatione aliquot
„ MSS. exemplarium, brevibuſque Notis,
„ ſed elegantibus & ingenuis, munito, Hi-
„ ſpali anno MDCXXVII. Bivario ſerius
„ agenti volumen excidit ſatis grande ſoli
„ Dextro impenſum, Lugduni eodem anno.
„ Cùm praeceſſiſſet utrique triennio integro
„ Thomae Tamaii juſtum opus, ſub Dextri
„ defenſi, ſeu Novitatum Antiquarum vul-
„ gari titulo, recens repertum Chronicon
„ veteri Auctori aſſerens, veraque eſſe maxi-
„ mo conatu contendens omnia in eo com-
„ prehenſa, aut ſaltem falſa certò haud eſſe.
„ Taceo innumeros, qui aliud agentes, Hi-
„ ſtorias nempe regnorum, urbium, ſacra-
„ rum familiarum, domorumve, genera-
„ les, particulares, elogia, apologetica
„ rerum Hiſpanicarum ſcribentes, Dextri
„ verſibus complevere omnes paginas, mo-
„ nitâ hac, uti legitimâ, paſſim expenſâ,
„ perque omnium ſinus liberaliter ſparſâ.

„ prae gaudio Higuera. Idem tamen poſt
„ aliquot annos exempla alia hujus ſui exem-
„ pli è manibus abire permiſit. Quorum
„ aliquod Caeſar-Auguſtae repertum, Joan-
„ nes Calderon Franciſcanus anno MDCXIX.
„ typis in eadem urbe committi curavit pri-
„ mus.

„ Viſa tamen in publica hominum luce il-
„ luſtrium horum virorum, aliàs celebrium,
„ tam propitia ſecundaque rebus Hiſpaniae
„ noſtris monumenta, veluti ex orci fauci-
„ bus erepta, mirum quantum exſultare, ſub-
„ ſultare omnes, qui aliquo honoris ſenſu
„ pietatiſve tangerentur, ſtatim fecere; Pro-
„ vincias, urbes, Eccleſiarum Collegia ſa-
„ era, Religioſorum hominum coetus efferre
„ ſe, ac nova ſibi delata in gremium, cla-
„ riſſimorum civium, ſodalium, tutelarium,
„ inclytarum actionum, geſtorumque olim
„ famae celebris ornamenta jactare, confer-
„ reque invicem & gratulari. Tanquam ſi
„ Pyrenaei ſaltus igne iterum correpti, Hi-
„ ſpaniae, quanta eſt, fines omnes metal-
„ lorum liquefactorum torrentibus inunda-
„ viſſent. Hinc eruditiores curâ etiam ſol-
„ licitare, ut ingruentem laetitiam non cae-
„ câ mente, ſed oculatâ, ſuique ac ſuorum
„ bonorum conſciâ, ſuſcepiſſe viderentur.

„ Eodem enim ferè tempore Rodericus
„ Carus,

„ Carus, Utrarienſis Presbyter; Franciſcus
„ Bivarius, Ciſtercienſis Monachus; Tho-
„ mas Tamaius Vargas, regius Hiſtoricus,
„ propugnandae, exponendae, illuſtrandae,
„ atque ornandae huic ſpartae induſtriam om-
„ nem, ingeniique atque eruditionis vires,
„ quibus poſſebant maximis, contulere. Ca-
„ rus expedivit certè rem, edito Dextri ac
„ Maximi Syſtemate ex collatione aliquot
„ MSS. exemplarium, brevibuſque Notis,
„ ſed elegantibus & ingenuis, munito, Hi-
„ ſpali anno MDCXXVII. Bivario ſerius
„ agenti volumen excidit ſatis grande ſoli
„ Dextro impenſum, Lugduni eodem anno.
„ Cùm praeceſſiſſet utrique triennio integro
„ Thomae Tamaii juſtum opus, ſub Dextri
„ defenſi, ſeu Novitatum Antiquarum vul-
„ gari titulo, recens repertum Chronicon
„ veteri Auctori aſſerens, veraque eſſe maxi-
„ mo conatu contendens omnia in eo com-
„ prehenſa, aut ſaltem falſa certò haud eſſe.
„ Taceo innumeros, qui aliud agentes, Hi-
„ ſtorias nempe regnorum, urbium, ſacra-
„ rum familiarum, domorumve, genera-
„ les, particulares, elogia, apologetica
„ rerum Hiſpanicarum ſcribentes, Dextri
„ verſibus complevere omnes paginas, mo-
„ nitâ hac, uti legitimâ, paſſim expenſâ,
„ perque omnium ſinus liberaliter ſparſâ.

„ At quamvis, huic facilitati res tam no-
„ vas temerè credendi, non unus aut alter
„ ex noſtris, cui dextra in parte mamillae
„ cor ſaliret, indignatus, continere intra
„ prudentiae limites civium noſtrorum phi-
„ lautiam, quae verè judicii omnes faciebat
„ partes, tam verbis praeſentes, quàm ſcri-
„ pto per litteras diu procuraviſſent; victi de-
„ mum ſuppreſſique, & quaſi tacere com-
„ pulſi ſunt, praevalente ſuffragiorum nu-
„ mero, ac lenocinante caeco patriae amori
„ novae mercis cupiditate. Niſi quod ante
„ aliquot annos re penitius conſideratâ, ca-
„ ſuque repertis non quidem levibus ſuſpi-
„ cionis argumentis, negotium penè jam
„ apud nos confectum retractari coepit, ad-
„ vocatâ ad partes liberè ſentiendi, quâ ra-
„ tionis compotes ſumus ac dicimur, facul-
„ tate; ferèque jam eò res proceſſit, ut
„ admoneri ſe noſtri cives non aegrè patian-
„ tur, à novis his Chronologis Hiſtoriae
„ noſtrae non laetas vires, ſed tumorem in-
„ ditum; & quae turgida & inflata ſit, ha-
„ bitiorem falsò apparere. „

Hactenus Nicolaus Antonius, qui quidem rem clarè ſatis aperuit, etſi in conſilia totius fraudis architectorum non auſus eſt eâdem libertate inquirere. Sed enim Chronicon utrumque, tum Dextri tum Maximi evolventibus, mani-

manifeſtum eſt, id totum molitas eſſe Synagogas Hiſpanicas Loiolitarum, quas fictitiis Archontianorum coetibus opponimus, ut ſuperſtitiones, vanoſque cultus Eccleſiae ſuae aliquâ antiquitatis opinione commendarent. Id ipſum manifeſtius demonſtrabunt ex Dextri falſo Chronico Omnimodae Hiſtoriae excerpta quaedam, quae & fraudis artifices admodum inconſultos fuiſſe evincent, & id unum, quod modò attigimus, eſſe molitos.

Edita eſt ſaepius ſub nomine Dextri enormis illa fabularum & mendaciorum congeries; at nunquam magnificentius prodiit, quàm anno MDCXXVII. Lugduni, ut ſuprà monuit Antonius, operâ Franciſci Bivarii, Monachi Ciſtercienſis, mirae credulitatis viri, qui multorum annorum ſtudium in id unum conſumſit, ut ſuppoſititios Higuerae foetus illuſtraret, & editis libris Apologeticis tueretur. Eâ ego editione utar in referendis quibuſdam confictis narrationibus putidiſque mendaciis è Chronico Dextri, quibus viſis veritatis ſtudioſi Lectores de ceteris haud aegrè judicabunt.

Sub anno Chriſti XXXIV. Romae DCCLXXXV. haec leguntur in Pſeudo-Dextri Chronico: *Claudia Procula, uxor Pilati, admonita per ſomnium, in Chriſtum credit, & ſalutem con-*

ſequitur. Eodem anno: *C. Oppius, Centurio Hiſpanus, credit Chriſto morienti in cruce.* Eodem anno: *Cajus Cornelius, Centurio Capernaunenſis, Dominus ſervi, quem Dominus ſanavit, pater etiam C. Oppii Centurionis, Hiſpanus mirè floret in Hiſpania.* Infrà legitur, eundem Oppium tertium Mediolanenſem Epiſcopum fuiſſe. Anno Chriſti XXXV. *Hiſpani, praecipuè Judaei, mittunt Legatos ad Apoſtolos, ut quamprimum aliquis eorum veniret ad eos, qui de rebus recenſitis de Chriſto eos verius & uberius doceret.* Anno Chriſti XXXVI. *Hiſpania prima Provinciarum mundi poſt Galilaeam, Judaeam & Samariam in partibus Occidentalibus Chriſti fidem amplexa eſt; ejuſque Gentilitas ad fidem converſa fuit; verae primitiae caeterorum Gentilium. Nam & Jacobus, Sanctus Apoſtolus, Zebedaei filius, peragratis urbibus Hiſpaniae, multiſque erectis Eccleſiis, & Epiſcopis creatis ex adventu Petrum Bracarae primum reliquit Epiſcopum, ac Templum vel Oratorium B. Virgini ex ejus juſſu, praeſentiaque ſuper columnam, Caeſaraugustae erexit. Multa quoque miracula patrat: Virtute verò ſermonis feroces Hiſpanorum animos ad ſuave Chriſti jugum adducit. Multi ibidem Judaei convertuntur ex duodecim Tribubus transmigrationis ex Babylonia, quibus & ibi tunc praedicavit. Et praecipuè*

cipuè Canonicam illis mittit Epistolam, quae sic incipit: Jacobus, Dei & Domini nostri servus, duodecim Tribubus, quae sunt in dispersione, salutem; quae fuit prima Scriptura Novi Testamenti, Apostolo tanto digna. Anno Christi XXXVIII. *Prima totius Orbis aedes erecta B. Virgini Caesarauguſtanae fuit.* Anno Christi XLVIII. Lazarus, & Magdalena, Martha & Marcella in navim à Judaeis, sine remigio & velis impositi, Massiliam pervenisse narrantur. Anno Christi L. *Petrus, ut Christi Vicarius, Hispanias adiit: Imagines Antiochiâ delatas affert.* Anno Christi LX. (1) Martialis Epigrammate 7. & 8. *Martyres in crucem actos vocat Laureolos & Daedalos volantes.* Anno Christi LXIV. *Lucius Annaeus Seneca, Cordubensis Hispanus, missis ultrò citròque ad S. Paulum litteris de Christiana re bene sentit, factusque Christianus occultus, ejus fuisse discipulus creditur, dulciterque scribit ad Paulum in Hispania morantem.* Anno Christi LXVI. *S. Paulus scribit Epistolam ad Hebraeos Hispanos conversos.* Anno Christi LXX. *In Arabia Felice, civitate Sessanae Adrumetorum, Martyrium sanctorum Regum trium Magorum, Gaspar is, Balthasaris, & Melchioris, qui Christum adoraverunt.* Anno

(1) *Martialis Epigr.* IX. & X. *de spectaculis Vide Bivar. in hunc locum.*

Christi LXXXVI. *Apud Messanenses celebris est memoria B. Virginis Mariae, missâ ipsis ab eadem dulci Epistolâ.* Anno Christi C. M. *Marcellus, excellens Poëta & Orator, ad quem Persius inscripsit quartam Satyram, amicitiis Juvenalis, Persii & Senecae, Galli, Statiique praeclarus, miraculis crebris floret.* Eodem anno: *Dionysius Areopagita dicat* (1) *Eugenio Marcello, dicto propter ingenii excellentiam Timotheo, libros de Divinis Nominibus.* Anno Christi CX. *S. Dionysius Areopagita Hispanias invisit, ut Legatus à B. Clemente totius Occidentis ordinatus.* Anno Christi CXVI. *Epistolae S. Ignatii ad B. Virginem celebres habentur.* Anno Christi CCXX. *Titus converterat ad fidem Plinium Juniorem ex Bithynia Pontoque redeuntem in Creta Insula, ubi jussu Trajani Jovi templum erexerat. Nec desunt qui putent septima Sextilis ad Novocomum esse passum.* Anno Christi CCCCXXX. *Eodem tempore in Tabulario Messanensi reperta est quaedam Epistola, Hebraicè exarata à B. Virgine ad eosdem cives Messanenses, & maximi ducitur.* Verùm ohe! jam satis est nugarum: sufficiant haec loco speciminis, quae planè mirum est tot nacta fuisse approbatores apud Loiolitas,

(1) *Vid. Petr. Halloix, Quaest. Tert. de vita & Operibus S. Dionysii, pag.* 429. & 430. *ubi Halloix Dextro contradicit, quem tamen veterem Scriptorem esse affirmat.*

Loiolitas, etiam extra Hiſpaniam, eoſque haud imi ſubſellii viros.

Dubitaverat primò de iſtius Chronici auctoritate Matthaeus Raderus, at demum admonitus à fraudis defenſoribus & architectis, manus ultrò dedit, teſtante id Bivario, Apologetici, quem Maximo praemiſit, §. VIII. At nemo magnificentius Dextri fabulas approbavit, quàm Melchior Inchoferus, cujus extant litterae ad Bivarium in eodem Apologetico, plenae omni genere laudum in Dextrum & ejus editorem magno verborum tumore congeſtarum. Certè Inquiſitionis Hiſpanicae tribunal non minus pronum ad tuenda mendacia, quàm ad obſtruendas vias omnes, quibus ad veri cognitionem perveniri poſſit, nil mirum fecit, quod praefixâ approbatione & Dextri, & Maximi falſa Chronica, ut legitimos Antiquitatis foetus obtrudere elaborarit. Stupendum eſt tamen, eruditos Hiſpaniae viros ne mutire quidem auſos fuiſſe, metu poenae; quin etiam quodammodo ad probandas ejuſmodi ineptias adactos fuiſſe.

Inter argumenta, quibus utitur Bivarius ad aſſerendam Dextri ſui Chronico antiquitatis opinionem, illud praecipuè urget: reliquias quorumdam Martyrum, qui imperante Nerone paſſi narrantur, anno poſt allatas

latas in Hiſpaniam Dextri Hiſtorias in monte Illipulitano prope Granatam fuiſſe repertas, unà cum quibuſdam tabulis & membranis Arabicè & Latinè ſcriptis, ſtatimque omni miraculorum genere claruiſſe. „(1) Mirâ „igitur, inquit Bivarius, Dei providentiâ „accidit, ut Dextri adventus tabularum il„larum inventionem praeveniret, quae ni„mirum invicem ſeſe confirmarent, & „Dexter theſauro Illipulitani montis fidem „faceret, & nunc ipſam mutuò ab eo„dem acciperet.„ Atqui tantum abeſt, ut Dextri Chronica fidem reliquiarum & tabellarum Illipulitanarum augeant, ut potius manifeſtò inde agnoſcantur duplicis fraudis, librorum videlicet & tabellarum auctores; qui librum confinxerant, ut fidem facerent reliquiis; & reliquias unà cum tabellis ſepelierant, ut auctoritatem turpiſſimae fictioni conciliarent. Quae omnia ubi penitius ſcrutari aggredior, vix mihi temperare poſſum, quin affirmem Torralbam, Higueram, ceteroſque deteſtandae fraudis inventores minimè Chriſtianos fuiſſe, qui Eccleſiaſticas Antiquitates eâ foeditate maculaſſe non contenti, colenda proponerent popularibus ſuis oſſa è carnificinis proculdubio collecta, quae pro Sanctorum priſci aevi reliquiis impiè obtrudebant. Quo-

(1) *Bivarius Apolog. pag.* 16.

Quoniam autem illa, quae ſuprà de monte Illipulitano breviter dicta ſunt, rem totam non ſatis dilucidè explicare videntur, ipſius inventionis Hiſtoriam è Bivarii Commentariis exſcriptam hîc apponere decrevi: „ (1) Inventi nuper ſunt nomine S. Caecilii Epiſcopi, ac S. Jacobi diſcipuli, libri non pauci „ in Sancto Granatenſi monte, characteribus „ in laminis plumbeis exarati, de quorum numero ſunt: *De excellentiis & miraculis Chriſti Domini, ac Matris ejus*, ab Incarnatione „ Verbi uſque Aſcenſionem, liber 1. *De ſumma Providentia, Miſericordia & Juſtitia, quas Deus in opere Incarnationis exercuit*, libri 11. *De natura Angelica*, liber 1. *De Poena & Gloria*, liber 1. *De Vita, Peregrinatione & Miraculis S. Jacobi*, liber 1. „ Quibus adde miraculoſa planè commentaria ab eodem elaborata *ſuper Divi Joannis Prophetias*, quae in ſublimi parte inhabitabilis turris Turpianae inventa anno 1595. „ non quidem Hebraicâ linguâ, Graecâ aut „ Latinâ, ſed Hiſpanâ vulgari, quâ nunc „ poſt tot tantamque vocum variationem utimur. Ne quis autem exiſtimet impoſturam nebulonis alicujus fuiſſe, ab Apoſtolico Judice Epiſcopo Granatenſi, informatio „ in forma juris accepta fuit, in qua prudentes

(1) *Idem Commentario in Dextrum, pag.* 109. 110.

„ tes ac litterati viri juramento aſſeverarunt, „ viſis loco ſeu turri, in qua commentaria „ haec inventa fuere, & characterum ac tabularum vetuſtate, quibus exarata ſunt, antiquiſſimam procul dubio ſcripturam eſſe; „ & ut minimum permulta centenaria annorum ſuperare perfectionem, & politiam „ linguae, in qua ſcripta ſunt, nimirum ejus, „ quâ nunc, quando reperta ſunt, Hiſpani „ utimur. Scripſit itaque D. Caecilius linguâ, quae adhuc non extabat. „ Inter praecipuos harum nugarum vindices fuit vir genere & dignitate illuſtris, Petrus de Caſtro Quinones, primò Granatenſis, deinde Hiſpalenſis Archiepiſcopus. Is omnem lapidem movit, ut novas illas antiquitates [ita eas Thomas Tamaius Vargas, Hiſtoricus regius, nominavit] omni hominum generi commendaret. (1) Haud luſit operam in Ara-

(1) „ *Ahmed Ben Caſſem al Andolouſi Mahumedanus Granatenſis, qui vixit anno Chriſti 1599. me-* „ *minit Manuſcripti Codicis Arabici Sancti Caecilii,* „ *Granatenſis Archiepiſcopi, reperti unà cum XVI. la-* „ *minis plumbeis, quibus Arabici characteres inſculpti* „ *erant, in crypta prope civitatem. D. Petrus de Caſtro* „ *Quinones, tunc Granatenſis Archiepiſcopus, rem eſſe* „ *veram teſtimonio ſuo confirmavit. Hae laminae Gra-* „ *natenſes Romam poſteà tranſlatae ſunt, ubi poſt diu-* „ *turnum examen ut Apocryphae damnatae ſunt, tem-* „ *pore Alexandri VII. Papae. Hiſtoriae complures* „ *fabu-*

Arabibus, in Hiſpanis, in aliis quibuſdam è grege Pontificiorum; ex eorum tamen numero, quos Hiſpani Calviniſtas vocant, neminem ad probandam fraudem, etiam ſpe praemii propoſitâ, impellere potuit. Scripſit in Bataviam uſque ad Thomam Erpenium, celeberrimum Academiae Leidenſis Profeſſorem, quem ut veteris Arabum litteraturae callentiſſimum, Tabellarum Illipulitanarum approbatorem & interpretem ardenti deſiderio expetebat. Quod ipſum luculentius docebunt Gerardi Joannis Voſſii verba ex Oratione in obitum Thomae Erpenii deſcripta: „ (2) Jam adultior Erpenius ab ultimis ſolli-

„ citatus

„ *fabuloſae illis continentur de infantia & educatione* „ *Jeſu Chriſti, & de vita B. Virginis &c. Hic Codex* „ *MS. eſt in Bibliotheca Regia, numero* 1043.„ D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 73. col. 1. *videndus item pag.* 360 *col.* 1. *verbo* Garnathah: *item pag.* 953. *verbo* Kekilios. *col.* 2. *Vide item Joh. Alberti Fabricii Cod. Apocryph. Novi Teſtam. pag.* 961. *Item Louis Guyon, Diverſes Leçons, tom.* 2. *livre* 4. *cap.* 4. *pag.* 782. *Franciſcus Torreblanca Cordubenſis, Defenſa de los libros de la Magia, cap.* 1. *pag.* 529. La gran Prophecia del Juizio final del Evang. S. Juan traduzida en Eſpanol por S. Cecilio primer Obiſpo de Granada, que ſe hallo en la torre Torpiana della en un pergamino [que yo hè viſto el original, moſtrandome lo el Illuſtriſſimo Senor Arçobiſpo de Sevilla, con las domas Reliquias deſte ineſtimable theſoro] eſta en verſos, alo que parece de ſu verſion, *&c.*

(2) *G. J. Voſſius Oratione in obitum Erpenii, pag.* 89. *tom.* IV. *operum Voſſii.*

„ citatus eſt Hiſpaniis ad explicanda quaedam
„ ex antiquis cryptis eruta, quae totus cape-
„ re nequiſſet terrarum orbis. Quod ne fi-
„ dem ſuperare videatur, ex Praeſulis Hi-
„ ſpalenſis ad Erpenium litteris, potiſſimâ,
„ ſed bonâ fide, compiectar. Significabat
„ is, ſe . . . . . magno deſiderio teneri,
„ ut per eum conſequi poſſit tranſlationem
„ quorundam, quae ſe Granatenſem mode-
„ rante Eccleſiam, effoſſa eſſent è monte Il-
„ lipulitano, menſe Aprili, anni CIↃ IↃ
„ X C V. Eſſe ea exarata in laminis plum-
„ beis, idque litteris planè exilibus; Inſcri-
„ ptionem teſtari, litteras eſſe Salomonis; do-
„ ctrinae laminis contentae auctorem ſtatui
„ Jacobum Zebedaei, Apoſtolum; Scripto-
„ res autem diſcipulos ejus, Caecilium ac
„ Cteſiphontem Martyres. De quibus, ut
„ arbitror, judicium hoc loco non requiri-
„ tis. „ Haec Voſſius, qui fragmentum etiam profert Epiſtolae Petri de Caſtro, & rationes recenſet, quibus impeditus eſt Erpenius, quominus morem gereret deſiderio Hiſpalenſis Archiepiſcopi. Quas rationes minimè opus eſſe cenſeo, ut huc afferam; quivis namque eas facilè conjiciet.

Fruſtra igitur fuerunt Hiſpani, neque eâ calliditate uti potuerunt, ut hominem Reformatae Religioni addictum fallere poſſent.

Hinc

Hinc discant Loiolitae, quam cautè sibi agendum sit. Marranis, Hispanis, & Sinensibus facilè imponent reliquiis falsis, & Antiquitatem mentientibus codicibus Manuscriptis ac Inscriptionibus; caveant sibi tamen à Reformatis, apud quos Diva Critice viget, quorum *vel pueri nasum rhinocerotis habent.*

Quàm verò iniquè in proponendis execrabilibus mendaciis, grassatum sit in Hispania in illius aetatis eruditos, satis superque restabitur, vel unus Bernardus Aldreta, Canonicus Cordubensis, celeberrimi operis Antiquitatum Hispanicarum Scriptor. Ediderat vir eruditissimus Dissertationem Hispanicè scriptam, quâ linguae Hispanorum suorum origines à lingua Latina petendas esse demonstrabat; corrupto, videlicet, post Gothorum in Hispania dominationem, in eam Dialectum sermone Latino. Quod verissimum esse nemo inficiabitur, qui vel primoribus labris Hispanicae linguae qualemcunque cognitionem degustaverit. Sed paucis annis antequam haec ab Aldreta ederentur, effossae fuerant laminae Granatenses, unà cum Prophetia Caecilii Hispanicè scripta; eoque nitore Hispanici sermonis, qui omnino illud aevum referret, in quo futiles nugae operâ Loiolitarum, totius fraudis artificum, in lucem apparuerant. Hinc itaque obortum

est

est non leve periculum Aldretae, quem hanc ideò Disputationem scripsisse adfirmarunt, ut sanctissimorum, quae vocabant, monumentorum fidem elevaret. Id certè ei statim à Granatensi Archiepiscopo Petro de Castro objectum est, quae res non mediocrem Aldretae metum intulisse videtur. Archiepiscopi Granatensis verba ex ejus Epistola ad Aldretam, hîc Latinè versa apposui:

„ (1) Pro ea comitate, quâ in scribendo uteris,

(1) *En la cortesia, con que V. M. escrive, no quiere ofender a nadie. Assi lo dize, i que no quiere meterse en cosa de Sanctos. Entiendo donde va encaminado esto, que deveser a la prophecia del pergamino, que hallamos con las reliquias en esta ciudad. Segun lo qual entiendo, que no le contenta a V. M. el lenguage del pergamino, ni el Arabe, ni el Hespanol, aunque no lo dize con su cortesia, pues dize que fueron introduzidas la una lengua con los Godos, i la otra con los Moros Mahometanos, que entraron en Hespana tanto despues de Cecilio, i de la escritura del pergamino. En esto, que toca al pergamino, no me conformare con V. M. pues es evidente i claro, que es verdad el pergamino, i la antiguedad, que el tiene de Cecilio por mil generos de provanças, que emos apurado, i averiguado para la qualificacion de las reliquias. . . . . Assiento una proposicion. Digo Senor, que el pergamino es verdadero, i todo lo que tiene, con toda la antiguedad, que le damos de tempo de San Cecilio, i es de tal manera verdadero, que es impossible, que sea falso. Apretado lo e mucho: pero assi es verdad. Agora digo io, que tambien es verdad, que avia estonces lengua Hespanola en Hespana, pues esta en el pergamino verdadero.*

„ris, neminem offendere ſtatuiſti. Ita te
„in rebus Sanctorum nimis ſollicitum eſſe
„nolle profiteris. Video quorſum haec ten-
„dant, nimirum ad Prophetiam in membra-
„na deſcriptam, quam unà cum reliquiis
„Sanctorum, in hac civitate invenimus.
„Quantum quidem id intelligo, haud placet
„tibi ſcriptionis iſtius lingua, ſive ea, quae
„Arabica, ſive quae Hiſpanica eſt; etſi,
„quâ comitate es, mentem tuam apertè non
„fatearis. Verùm affirmas, alteram, Hiſpa-
„nicam videlicet linguam cum Gothis in
„Hiſpaniam fuiſſe inductam; alteram verò
„cum Sarracenis, quorum adventum Caeci-
„lius, vaticiniorum Auctor, longè anteceſſit.
„Quod ad membranam attinet, planè abibo
„ab opinione tua, cùm infinitis argumentis
„explorata ſit membranae ipſius veritas, &
„à Caecilii temporibus haud dubia Antiqui-
„tas: eam accuratè perpendimus, ut reli-
„quiarum fides aſſereretur . . . . Affirmo
„itaque, & membranam, & illa omnia, quae
„in ea deſcripta leguntur, eſſe vera, eâque
„antiquitate, quam nos ipſi aſſignamus; adeò
„vera, inquam, ut nullâ ratione fieri poſſit,
„ut falſa judicentur. Quae affirmatio mea

„etſi

dadero. Preguntado quando entro eſta lengua, digo que no lo ſe, que el tiempo lo a eſcurecido, i olvidado. Bernardo Aldrete Antiguedades de Eſpana, lib. 1. cap. x. pag. 57. 58.

„ etſi vehemens tibi videbitur, vera tamen „ omnino eſt. Itaque aïo, itidem verum „ eſſe, linguam Hiſpanicam tunc extitiſſe, „ quandoquidem membranae noſtrae, de „ quarum veritate conſtat, eam linguam ex- „ hibent. Quod ſi petieris à me, quo tem- „ pore ea lingua in Hiſpaniam ingreſſa ſit, id „ me neſcire fatebor, quod tot annorum „ longâ ſerie obſcuratum eſt. „ Perterrefactus fuit non objectione ipſâ Aldreta, cui de veritate dictorum ſuorum & de reliquiarum Granatenſium falſitate conſtabat; verum auctoritate Antiſtitis ſuperſtitioſi, cui reliquias & Prophetias perverſorum hominum fraude ſuppoſitas defendere animus erat. Itaque ut rebus ſuis conſuleret, ad miraculum ſibi confugiendum eſſe decrevit: (1) Caecilium eâ linguâ, quae nondum nata eſſet, ſed quâ uſuri forent homines, quâ aetate reliquae reperirentur, vaticinia ſua, Deo illam linguam inſpirante, ſcripſiſſe affirmavit, eòque probabiliorem eſſe opinionem ſuam profeſſus eſt, quò majore miraculo niteretur. Nôrat namque indolem popularium ſuorum vir ſagaciſſimus, quos ſomniis, revelationibus & fictis miraculis, longè facilius, quàm rectae rationis uſu duci intelligebat.

(1) *Aldrete, Antiguedades de Eſpana lib. 2. cap. 18. 19. & 20.*

bat. Neque tamen rem ita propoſuit, quin acriter in cenſores ſuos, occultè tamen inveheretur, toto prope capite x 1. libri ſecundi, ubi illorum impietatem perſtringit, qui fraudes, quas pias vocant, comminiſcuntur: „ (1) Qui rem, inquit, fictitiam dicit, aequè „ falſi reus eſt ac ille, qui veritatem oblitte„ rat, & aliquid magni momenti delet, di„ gnumque quòd non occultetur. Unde intel„ ligitur, quàm periculoſum ſit falſa miracula „ comminiſci, & vera manifeſtaque, ſi quae „ ſint, oblitterare conari. „ Porro ut ſe planè Inquiſitorum manibus & crudelitati eriperet Aldreta, licet manus dediſſe videretur, id tamen, ſive juſſus eſt, ſive quò ſuſpicionem amoliretur, ſibi faciendum eſſe putavit, ut eleganti Inſcriptione Latinâ Illipulitanas ſuperſtitiones decoraret, Antiquitateſque ſuas Hiſpanicas, quarum frontem hoc ſtigmate foedaverat, praecipuo fraudis vindici Petro de Caſtro, tunc Hiſpalenſi Archiepiſcopo, nuncuparet. Uſque adeò miſerum eſt colere litteras & ſe ſapientiae ſtudiis addicere, eos inter homines, qui nulli crudelitatis generi par-

(1) *Aſſi el que dize una coſa ficticia es reo de la falſedad, commo el que de la verdadera borra i quita alcuna coſa ſubſtancial, i digna de que no ſe oculte. Deſtos principios bien ſe entiende el peligro que ai ſi ſe fingieſſen milagros, o quando los uvieſſe claros i patentes ſe quiſieſſen aniquilar.* Aldr. lib. 2. cap. x1. pag. 273.

parcunt, ut fraudes ſuperſtitioneſque ſuas miſerae plebi credendas obtrudant!

Uti verò poſt Dextrum, alium Scriptorem, nomine Maximum, in continuando Omnimodae Hiſtoriae Chronico, ſuppoſuerunt Loiolitae, ita ut integram falſae traditionis ſeriem abſolverent, falſum Luitprandi Chronicon & adverſaria ejuſdem farinae, ex eadem Higuerae officina deſumta, Antwerpiae, anno M D C X L. typis nitidiſſimis edi curaverunt; quibus ut dignitatem aliquam addidiſſe viderentur, legitimos Luitprandi foetus, falſis tamen ſubinde lectionibus depravatos, praemiſerunt. Additae ſunt ei editioni Notae Laurentii Ramireſii de Prado, viri nobiliſſimi, & (1) commentario in Martialem in adoleſcentia conſcripto inter eruditos celeberrimi. Ediderat jam idem Ramireſius, Pariſiis anno M D C XXVIII. cùm ibi Legatum Hiſpaniae Regis ageret, Juliani Petri, Archi-Presbyteri Sanctae Juſtae, Chronicon ab Higuera & Sodalibus confictum, in quo fabulae Loiolitarum ad duodecimi ſaeculi exitum

(1) *Ramireſii Martialis prodiit Pariſiis anno 1607. De Ramireſio ita judicavit Joſephus Scaliger Epiſt.* CCCCLXVI. *pag.* 861. Praeclarum ingenium eſt & bona indoles; ſed quam depravare poſſit φιλαυτία. *Sunt qui dicant Commentarium in Martialem eſſe Franciſci Sanctii Brocenſis, qui Notas ſuas Ramireſio dedit ejus nomine edendas.*

exitum deducuntur. Saepe miratus ſum Ramireſium emunctae naris Criticum, turpibus adeò fabulis edendis & illuſtrandis otium ſuum impendere voluiſſe. Eo impulſum fuiſſe nullus dubito Loiolitarum adulationibus, qui poſtquam Manuſcripti Higuerae codices in Hiſpania primum apparuerunt, eos aliis edendos & exponendos reliquere, nemine eorum, quem quidem nôrim, praeter unum Higueram quidquam in illuſtrandis execrabilibus fabulis, palam moliente. Videlicet id in animo habuerunt, ne invidiâ facti ſola Societas oneraretur, melius conſultum fore natis apud ſe mendaciis, ſi ab aliis Auctoribus commendarentur, & ita in vulgus prodirent, ut res Societatis in eo minimè verti viderentur.

Nemo ſanè fuit è numero Loiolitarum, qui Higuerae fabulas & fictiones palam improbaverit; imò, ut ſuprà vidimus, plurimi eorum occaſione datâ ad Dextri auctoritatem provocaverunt, quam ſatis ſuperque confirmatam Bivarii Apologeticis & Commentariis arbitrabantur. Hanc nos Loiolitarum Synagogam Archontianae, quam Harduïnus commentus eſt, iterum opponimus; rogamuſque viciſſim, ut aequè certis auctoritatibus fictiones ſuas aſſertum eat, atque nos Higuerae & Loiolitarum ejus Sodalium

mendacia deteximus. Qua in re monuisse haud abs re erit, nos longè diversam ab Harduïno viam iniviſſe, cùm ille Sibyllicè & aenigmaticè loquendo, nullâ auctoritate, aut demonſtratione allatâ, veterum ubique monumentorum fidem ſugillet; nos è contrario nihil dixerimus, quod nobis idoneis Scriptorum aequalium teſtimoniis confirmatum non ſit. Verùm haec eruditis, ut par eſt, dijudicanda relinquimus, quos denuò admonere operae pretium eſt, Higuerae molitiones in Societate magnopere probatas, eòque collineare Harduïnum, ut veteres Sodalis ſui nugas poſteritati vendibiliores reddat. Sanè Alegambio, qui & ipſe calculum ſuum addidit Dextri approbatoribus, Higuera vocatur, (1) *Vir de Eccleſiaſtica Antiquitate bene meritus, & dignus eruditiſſimis noſtri ſaeculi accenſeri.* Quâ laudatione non contentus Sotuellus, haec in auctiore Bibliothecae Scriptorum S. J. editione addidit: *Noviſſimè verò praeclarum quoque elogium tulit ab clariſſimo D. Nicolao Antonio in ſua Bibliotheca Hiſpana.* Quo Sotuelli mendacio nihil poteſt eſſe impudentius, cùm hominem ab Antonio tot meritò contumeliis infamatum, ab eodem laudatum fuiſſe, Lectoribus incautis perſuadere conetur. Certè ſi quid fuit, in quo Antonius

(1) *Alegamb. Biblioth. Script. S. J. pag.* 346.

nius Higueram laudaſſe cenſeri poſſit, id continetur his verbis, quae hîc adſcribimus, ut de eo *elogii* genere eruditi judicent: (1) *Planè induſtriam ejus* [Higuerae] *& diligentiam ſummis in coelum uſque laudibus efferunt vulgò noſtri homines, qui cùm fallere neſciant, falli ſe ab aliis poſſe haud facilè credunt.* Dedit hîc aliquid amori patriae eruditus Auctor, cùm Hiſpanos fallere neſcire affirmavit. Nobiliſſimae gentis laudi nihil detractum velim: attamen haud ſcio an alibi uſquam tot falſae Inſcriptiones, tot fabulae, tot mendacia reperiantur, quot à ducentis annis apud Hiſpanos nata & propoſita fuiſſe novimus. Ut enim permulta pravi commatis praetermittam, Antonii Guevarae, Mindonienſis Epiſcopi, Vita Marci Aurelii, titulo Horologii Principum edita, pluresque aliae ejuſdem Scriptoris fictiones; fabulae praetereà in Hiſpania vulgares, de Adventu Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam, laminae Montis Illipulitani, Caecilii Prophetiae, nuperrimaeque (2) Mariae de Agreda, Monialis Hiſpanae, revelationes, ipſo Mahumedanorum Alcorano foediores, ſatis ſuperque evincunt, & fallere ſcire Hiſpanos, & facillimè decipi poſſe.

(1) *Nicolaus Antonius, tom. 1. Biblioth. Script. Hiſp. pag. 456.* (2) *Vide Baelii Diction. 2. edit. pag. 102. 103.*

Jam oſtendimus, quibus monumentis Harduïnus Praefectorum ſuorum juſſu eandem auctoritatem apud Gallos, quam pridem apud Hiſpanos habuerint, conciliare conetur. Haud enim impediverunt Nicolai Antonii egregiae obſervationes, quominus Dextri Chronicon in teſtimonium fabularum ſuarum Hiſpani advocarent, quod nuper factum fuit ab ejus gentis Scriptore quodam, annotantibus id ſedulò Actorum Trebocenſium Scriptoribus Loiolitis (1).

Nihil erit ergo poſt ſublatos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos, quod ſuae traditionis ope, Loiolitae defendere nequeant. Decretales Epiſtolas habebunt, Dionyſium Areopagitam, Dextrum, Maximum, Braulionem, Hellecanem, falſum Luitprandi Chronicon, Julianum, alioſque quoſdam à Joanne Tamaio de Salazar, & (2) Thoma Tamaio de Vargas editos, quorum opera, deductâ ad Mendicantium uſque Monachorum origines traditione, nihil erit nugarum, ineptiarum & ſuperſtitionum, cujus antiquitatem facillimè demonſtrare non aggrediantur. Id certè eos moliri, oſtendunt vehe-

(1) *Memoires de Trevoux, Janvier* 1704. *pag.* 32. 34. 35. *ed. de Holland.* (2) *Vide Nicolai Antonii Biblioth. Script. Hiſp. tom.* 1. *pag.* 601. 602. *& tom.* 2. *pag.* 252. 253. 254.

hementes eam in rem Harduïni conatus, & Germonii noviſſimae lucubrationes, qui rem per cuniculos agens, Diplomatum fidem convellere aggreſſus eſt, ut Manuſcriptorum codicum auctoritas unâ eâdemque operâ labaſcere incipiat. Quod ipſum à Loiolitis aliquando factum iri, jam ante ſexennium praevidit vir incomparabilis G. Lebnitzius, Sereniſſimo Electori Hanoverano à Secretioribus Conſiliis, in egregia de nummis GRATIANI AVGG. AVG. contra Harduïnum Diſputatione, edita Hanoverae anno MDCCI. Vidit ibi vir illuſtris, & incredibili ingenii acumine praeditus, veterum Scriptorum fidem in controverſiam adduci non poſſe à Loiolitis, quin contra Diplomata & Manuſcriptos codices tandem aliquando ab iis ſcribi inciperetur. Itaque viam contra eos muniendam eſſe judicavit, optavitque ut aliquis exoriretur, qui hanc ſpartam pro rei dignitate ornaret. Cui rei ſuſcipiendae & perficiendae, quem hominum aptiorem futurum fuiſſe dicemus, quàm Leibnitzium ipſum, qui omnium rerum geſtarum, cùm veterum, tum recentiorum cognitione, pollet; qui liberalium quarumcunque artium ſcientiâ ubique meritò celebratur; qui plures codices Manuſcriptos, pluraque Diplomata omnis aetatis quàm quiſquam hominum

vidit & evolvit? Audiamus porro quae Harduïno vir in tanta eruditione modestissimus objecit: „(1) Haec apparet, inquit, profi-„ciſci ex paradoxis opinionibus viri de re lit-„teraria meritiſſimi, cujus ideò nomini par-„cendum cenſemus, cùm ſciamus eas à mul-„tis in peſſimam partem accipi; quaſi pleroſ-„que veteres, certè profanos Scriptores νοθείας „reos faciat, & inauditâ cenſurâ Senatu litte-„rario movere velle videatur, MALO AD „SACROS ETIAM AUCTORES „PERVENTURO, in pari, ut adverſa-„rii putant, cauſa. Mihi verò in melius om-„nia, quâ licet, trahenti, audacior dubi-„tatio, vel, quod malim, dubitandi ſimu-„latio, tanquam jactum in medium eridos „pomum, non tantum excuſabilis, ſed „etiam utilis videtur, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βρο-„τοῖσι. Poterit enim excitare viros doctri-„nâ & judicio praeditos ad condendam, quae „nondum extat, Hiſtoriae ſcientiam, quam „ita accipio, ut ipſa ejus principia munian-„tur demonſtrationibus, quas fert natura „rei, quales vulgò moralis certitudinis eſſe „dicuntur; oſtendendo ex iis, quae nunc „extant, ea quae olim extitere; ſive ipſa „ſuper-

(1) *In Diſſertatione de Nummis Gratiani, addita ad calcem Menſis Auguſti Libri Germanici, cui titulus:* Auſzug Verſchiedener die neue Preuſſiſche Crone angehender ſchrifften, *pag. 4 & 5.*

„ ſuperſint monumenta Vetuſtatis, ut ſaxa
„ & metalla verbis figuriſve inſcripta, ſigilla
„ item, membranae, chartae coaevae re-
„ bus geſtis; ſive ſint per imitationem re-
„ petitam ad nos delata, ut in Codicibus
„ ſaepe tranſcriptis, in Scripturis, quas ap-
„ pellant tranſſumtas, in linguarum denique
„ & narrationum per manus traditarum pro-
„ pagatione contingit; ubi veritatis notas &
„ gradus fidei hiſtoricae definire magna meâ
„ opinione pars Artis Criticae foret. . . . .„
Et infrà: „ (1) ITAQUE OPTARIM
„ NON TANTUM DIPLOMATUM,
„ SED ET CODICUM FULCIRI fidem;
„ & ut in re diplomatica verſati ſunt eminen-
„ tes doctrinâ viri Joannes Mabillonius, &
„ qui nonnihil praeiverant Henſchenius &
„ Papebrochius; ita Hiſtoriam dari criticam
„ uberrimam Manuſcriptorum Codicum, &
„ deductorum ex illis editorum typis Aucto-
„ rum, prout quiſque aut prodiit ab exem-
„ plaribus, aut eſt auctus emendatuſve. Sunt
„ enim, quae paucis Codicibus, ſunt quae
„ nonniſi uni debentur: CERTE SAECU-
„ LO XII. CONFICTOS NON ESSE,
„ QUI HABENTUR VETERES, IN-
„ NUMERIS QUIDEM ARGUMENTIS
„ EVINCI POTEST, neque ea res noſtrae

 „ hîc

(1) *Ibidem, pag* 6.

„ hîc eſt diſputationis. Non indignum ta-
„ men memoratu puto, in Auguſta Bibliothe-
„ ca Guelfebytana extare magnum numerum
„ Codicum, quos à Coenobii Weiſſenbur-
„ genſis Abbate, eodemque Epiſcopo Spi-
„ renſi redemtos, Johannes Philippus, Mo-
„ guntinus Elector, doctrinâ & ſapientiâ in-
„ ſignis, donaverat Henrico Julio Blumio
„ Hanoverano, Conſiliario primùm ſuo in-
„ timo, deinde in Bohemico Appellationum
„ Tribunali Caeſareo; unde Sereniſſimus
„ Dux Antonius Ulricus Auguſtae Biblio-
„ thecae ſuae quaeſivit. Plerique ſcripti ſunt
„ temporibus Carolingiorum, & ne dubites,
„ extat in uno Catalogus ipſe antiquus Bi-
„ bliothecae Monaſterii, addito nomine Ab-
„ batis, ubi hi ipſi bona ex parte recenſen-
„ tur, qui nuper Guelfebytum fuere tranſla-
„ ti; quorum aſſerta Antiquitate ſimul & alii
„ multi per ipſos extra controverſiam ponun-
„ tur. „ Haec Leibnitzius, qui, quod ho-
die experimur, non fruſtra Diplomatum &
Manuſcriptorum fidem fulciri optavit. Ita-
que cedant modò in re planè manifeſta, qui
nos iniquâ contumeliâ Germonium oneraſſe
dixerunt, ea in Diſſertatione, quam Galli-
cè nuper de hoc argumento edidimus. Quid
enim contra viri incomparabilis obſervatio-
nes objici poteſt, qui pro ea, quâ pollet,

ſaga-

ſagacitate, rem eò tandem deventuram, diu ante primos Germonii conatus perſpexerat?

Erunt omnino nonnulli è Societate Loiolitarum, qui pro contubernalis ſui Harduïni erroribus & ineptiis propugnare aggredientur. Quod ſi bonâ fide factum fuerit, id equidem laetante animo accipiam, quaecunque fortè mihi aut incogitanti aut minus parato exciderunt, aequo animo fateri & emendare paratus. At noverint velim longè diverſâ ipſis ratione ei operi inſiſtendum eſſe ab ea, quâ perſonatus quidam Sorbonicus Doctor nuper in Selecta Doctiſſimi Joannis Clerici Bibliotheca Harduïnum ſibi, ut apparet, valde familiarem, defendere conatus eſt. Et quod ad me attinet, nulla in re lucubrationi huic qualicunque meae melius unquam fore conſultum putem, quàm ſi me tralatitiis Societatis artibus, id eſt, calumniis & omni genere contumeliarum, cùm ipſe Harduïnus, tum ejus amici impetiverint. Intelligent enim eruditi, quod jam multi intellexerunt, deeſſe tuendis Harduïni opinionibus momenta rationum, ubi ad ſophiſticas artes & omnem maledictorum foeditatem Jeſuïtas deſcendere animadvertent. Suadeo tamen, ut aliam viam ineant; Harduïni potius ſyſtema candidè proferant; aut certè ſi incoctas Societatis opiniones luci pu-

blicae inviderint, ea quae ſuprà attulimus, ita perpendant, aut etiam refellere conentur, ut eos nihil in emolumentum Societatis ſuae, & rei litterariae detrimentum moliri appareat. Oſtendant ergo non ſuſtuliſſe Harduïnum, quantum in ſe fuit, ex antiquorum Scriptorum numero Tertulliani, Origenis, Hieronymi, Auguſtini, Cyrilli, Joannis Damaſceni, ne dicam Patrum prope omnium, tum Graecorum, tum Latinorum lucubrationes: non abrogaſſe fidem vetuſtiſſimae, quâ uſi ſunt Apoſtoli, & puriſſimae Antiquitatis Patres Septuaginta Interpretum Verſioni: non negaſſe vetuſtiſſimam fuiſſe quandam, expreſſam ex eadem LXX. Interpretum Verſione, Editionem Italicam, quâ Patres Latini ante Hieronymum uſi ſint, cujuſve uſus in Eccleſiis Occidentalibus ad Gregorium uſque Primum, Romanae Eccleſiae Pontificem, perdurarit. Quae ſi minus negare auſi fuerint, proferant ſaltem & eruditis diſcutiendas permittant eas rationes, quibus ad tot paradoxas opiniones tanto ardore defendendas Harduïnus impulſus eſt. Tueantur praetereà ineptas ejuſdem de vetuſtis Rerum Graecarum & Romanarum ſcriptis & Auctoribus inficiationes. Proferant in medium non contemnendas rationes, quibus periculoſiſſimas Harduïni ſen-

ſententias, Societatis Optimatibus aut parum exploratas eſſe, aut nullo cum rei Chriſtianae periculo conjunctas videri demonſtrent: neque celent eruditos, quî factum ſit, ut ejuſdem Harduïni opiniones tot fautores & laudatores in Societate nactae ſint, totieſque non ſine commendatione in (1) Memoriis Trebocenſibus repetitae legantur,

(1) *Memoires de Trevoux, Tom. 1. ed. Amſtel. pag. 73 articulo* XIII. *Januar. & Februar. Item Mart. & April. articulo* XVI. *pag.* 222. *de Nummo Caphyatarum. Item Maii & Junii, articulo* XVIII. lepida interpretatio Harduïni Synagogae Libertinorum, quae ei uſque eo placuit, ut eam iterum Latinè in operum ſuorum collectione Amſtelodami editurus ſit. *Ibid artic.* XXI. *pag.* 384. *Tom. 2. Julii & Auguſti, articulo* XXIV. *pag.* 91. Omnes ferme nummos Latinos in Gallia Narbonenſi cuſos ſtatuit Harduïnus. *Sept. & Octob. artic.* II. *pag.* 173. quaedam dicuntur à Jeſuïtis ad imminuendam Manuſcriptorum Codicum fidem. *Item de nummo Caphyatarum, articulo* XXXIII. *pag.* 321. *Tom.* 3. *articulo* XXVIII. *pag.* 133. Immodeſta velitatio Harduïni contra Gallandium & Auctores Diarii Pariſienſis Eruditorum, ubi haec verba ſub finem leguntur, de quibus aequi Lectores judicabunt (*pag.* 141, 142.) *Il ne ſe mettra pas en peine, ce me ſemble, de donner ſatisfaction à ce Journaliſte, ſur l'empreſſement qu'il paroît avoir de connoitre je ne ſçai quel ſyſtême, dont il parle aſſez confuſément. Il y a long-tems que ce Pere fait envie à bien des gens.* Quae verba ſi ab Harduïno ſcripta ſunt, ſummam profectò arguunt hominis immodeſtiam; ſin ab alio quovis Loiolita, non deſunt certè ipſi in Societate ſua Sectatores. Tom. 5. pag. 26.

in

tur, ut datus ſit ſuſpicioni locus, id operis propterea Loiolitis fuiſſe ſuſceptum, ut inter alias Societatis opiniones, abnormes etiam Harduïni ſententiae in litteratum orbem inducerentur. Germonii praeterea ſui circa rem Diplomaticam conjecturas & ſomnia non ideò fuiſſe excogitata doceant, ut Manuſcriptorum Codicum fides in dubium vocaretur, & validiſſima quaeque contra Harduïni novitates argumenta corruerent. Hieronymum denique Higueram gregalem ſuum turpiſſimas fictiones, peſtilentiſſimamque falſorum monumentorum congeriem, compluribus iiſque eruditis è Societate viris probatam, fabricatum fuiſſe, ſi poſſunt, inficientur. Quae omnia ſi minus praeſtiterint, deſinent ſanè, ſi quidem ſibi & Societati

in Excerptis Geographiae Doctiſſimi Cellarii, Auctor Excerptorum Jeſuïta ſedulò notat, Caligulam à Plinio Principem Caium vocatum fuſſe, ut vel hac obſervatione Harduïni opinionum memoriam refriget. Refelluntur tamen iiſdem in Memoriis nonnullae Harduïni opiniones, ut de Nerone & Vitellio à Grainvillio, Jeſuïta Rhotomagenſi, Tom. II. articulo XVII. pag 148, 149. Item Tom. VIII. Aug. artic. I. pag. 84. defenditur Joſephus contra Harduïnum. Item Tom. IX. Junii 1705. artic. VI. in illuſtratione nummi Galieni à Doctiſſimo P. de Tournemine, pag. 452, 453. *Un ou deux Antiquaires ſuppoſent que tous les Hiſtoriens ſont impoſteurs ou apocryphes.* Unum adhuc novimus Harduïnum; ceteros in Societate latere, hinc conjici poteſt.

tati ſuae conſultum volent, calumniari conatus noſtros, unâ veritatis & Chriſtianae Religionis defendendae cupiditate ſuſceptos. Illud ſanè de nobis non aegrè credituros arbitramur, quicunque ea quae ſuprà allata ſunt, ab omni praejudicata opinione vacui conſiderarint. Id certè unum mihi in animo fuiſſe, intrepidè profiteor, qui nihil ardentius optaverim, quàm ut è tanto eruditorum numero, qui hodie in Europa florent, aliquis exoriatur, qui deterrima Loiolitarum conſilia felicius peſſum det & evertat. Mihi abundè praemii erit pro ſuſcepto labore, ſi vanae Harduïni cogitationes ita aut meâ aut aliorum operâ eliminentur, ut deinceps in lucem prodire non audeant. Si quid autem paulò acerbius in hac Diſputatione dictum eſt, id mihi eò libentius condonaturos ſpero, qui haec legent, quò certius unicuique confirmare poſſum, nullâ me unquam à Loiolitarum Societate privatâ injuriâ affectum, ob id unum ad ſcribendum acceſſiſſe, quòd veritatem à nemine defenſam periclitari judicarem.

FINIS.

ADDENDA VINDICIIS VETERUM SCRIPTORUM.

Pag. 7. v. 25. *Neque id negligendum crediderim* &c. Hoc uno, ni fallor, argumento omnino probatur, conscios saltem fuisse Jesuïtas incoeptorum Harduïni; quae certè nunquam à tot annis ullus eorum palam improbavit. Societatis autem Theologos, quibus legenda antequam in lucem prodiret, utraque lucubratio commissa est, haud fortè intellexisse, quid Harduïnus moliretur, quod nobis vir eruditissimus Joannes Clericus objecit, nescio an sine Societatis ipsius ingenti contumelia dici possit. Haud certè ita alieni sunt ab his litteris & omni Antiquitatis studio Societatis Theologi: in his enim sese studiosè exercent, inductâ jam ante complures annos in Ecclesias Pontificiorum eâ Theologiâ, quam positivam vocant, quae in illustrandis Antiquitatibus Sacris potissimùm versatur. Porro quid vetat credere Theologos Parisienses, quos extraneos approbatores nominant, haud ità accuratè Harduïni libros

libros perluſtraſſe, poſtquam rem hiſtorici eſſe argumenti intellexerunt, Societatis Theologis probatam, & Provincialis, quem vocant, auctoritate firmatam?

Pag. 19. *v.* 3. *& ſeqq. Videlicet ita ſe res habere videtur* &c. Qui haec fieri poſſe negarunt, ſi attenderint animum ad ea, quae ſub finem Diſputationis noſtrae docuimus de Dextri, Maximi, Luitprandi, Juliani & aliorum falſis Chronicis, confictis in Hiſpania à Loïolitis, & meminerint laminas Granatenſes commentitiaque montis Illipulitani monumenta ab eadem officina prodiiſſe, fortè fatebuntur nos eandem fraudem temporibus noſtris iterum ab eodem hominum genere non immeritò metuiſſe. In quo veteris Scriptoris Palaephati regulam eruditi fortè probabunt: *Εἰ γὰρ πότε ἢ ἄλλοτε ἐγένετο, ἢ νῦν τε γίνεται, ἢ αὖθις ἔσται. De incredibilibus, cap.* 1.

Pag. 22. *v.* 6. Fridericum II. hîc intelligi, quâ fronte negare auſus ſit aut Harduïnus, aut certè aliquis è numero ejus contubernalium, in V. Cl. Joannis Clerici Bibliotheca Selecta Tom. XIV. nemo mirabitur qui Societatis artes noverit. Nullum ſanè Principis alicujus nomen XIII. ſaeculo occurrit, cui aſſignati ab Harduïno Characteres aptari poſſint. Ipſe numerus litterarum, ipſa earum ſumma,

ſumma, ipſi Imperatoris natales in dubium à calumniatoribus vocati, ipſa multarum linguarum cognitio ita ad Fridericum II. manifeſtò referuntur, ut hic eum ab Harduïno ſignificatum fuiſſe ſine ſumma impudentia negari non poſſit. At non convenit numerus vocalium. Quid ſi id malitioſo fortè animo factum eſt? Quid ſi Harduïnus ipſe allucinando praeproperè hoc ſcripſit? Quid ſi Typographus in deſcribenda Harduïni ſententia aberravit? At quid attinet in cauſam erroris ſtudioſius inquirere, cùm de Friderico II. hîc agi, luce meridianâ clarius appareat?

Pag. 52. *v.* 8. Neminem exiſtimo futurum, qui exigat ut ea refellam, quae hoc loco reſpondet Harduïnus tum in Memoriis Trebocenſibus, tum in XIV. Tomo Bibliothecae Selectae, ubi comparatione inſtitutâ inter Rempublicam Romanam & Status Belgii Foederatos, ſententiam ſuam de Caio Caligula fulcire conatur. Eâ comparatione nihil ineptius eſt, nihil alienius ab hoc loco. Nulla numiſmata exſtare fatemur, in quibus Caius aut Imperator Latinè, aut Graecè Αὐτοκράτωρ nominetur. Id autem ideò fortè factum eſt, quod inſanus Princeps, & mentis parum compos, cùm ſe Deum & ipſe crederet, & pro tali apud alios jactari vellet, hujuſmodi titulo ſe ignominiâ affici arbitraretur. Neque etiam

etiam cuiquam mirum videbitur, Caïgulam Principem Caium Plinio dictum fuisse: eâ enim appellatione idem Scriptor non semel Augustum & Tiberium designavit.

Pag. 54. post haec verba: *Quos nodos Harduïnianae sagacitati solvendos relinquo.* Erit fortè aliquid, quod hîc tricari possit Harduïnus, circa allatas à nobis Homeri & Ciceronis auctoritates. Dabimus ergo ei testimonium aliud, Scriptorisque illius, quem omni exceptione majorem fatebitur. Is est Divus Evangelista Marcus, qui cap. v. vers. 40. Jacobum aetate minorem Μικρὸν nominat. Μαρία ἡ τῶν Ἰακώβου τοῦ μικροῦ καὶ Ἰωσῆ μήτηρ. Cui etiam addat per me licet hunc versiculum ex Horatii Arte Poëtica, in quo majorem Pisonum ita compellat: *O major juvenum* &c. *v.* 366. Quid ni enim eâdem sententiâ magnus dici possit, qui major appellatur?

Pag. 78. *v.* 2. Haud fortè abs re erit observare, Joannis illius Beleth, de quo suprà dictum est, ideò fortassis Harduïno venisse in mentem, quod ejus populares Armorici Presbyteros *Beleth*, sive *Belec* linguâ suâ appellent. Id certè nomen Harduïno sufficiet, qui mirabiles aliquando historias comminiscatur.

Pag. 82. *v.* 3. & 4. Joannes Damascenus Μανσὴρ etiam nominatur in Manuscripto Codice

dice Veneto apud Bernardum de Montfaucon, Diarii Italici, pag. 62.

Pag. 85. *v.* 7. Linguas in otio fingi posse quis negaverit, maximè post editum specimen illud mendaciſſimi (1) hominis, qui se pro Formosano apud homines ineptè credulos venditavit? Excogitavit videlicet homo nequam linguam quandam & fictitios nescio quos characteres litterarum, quos haud aegrè γνησίως esse persuasit iis hominibus, qui Arminianorum dogmata fraudis illius artificis mendaciis confirmari crediderunt. At multitudinem librorum linguâ fictâ & sibi ubique constante quis confingi unquam potuisse existimaverit, ubi praesertim alia argumenta non desunt, quae linguae Copticae antiquitatem evidenter ostendunt.

Pag. 89. *v.* 19. 20. *Alphabetum quoddam oppidò ludicrum &c.* Jam editum fuerat illud Alphabetum à Ricardo Parr, Doctore Theologo, inter Epistolas Jacobi Ussherii, Armachani Archiepiscopi, Londini anno 1686. Locum eò libentius describam ex Epistola Anglica Gerardi Langbainii, pag. 551. quòd inde didicerim, idem mecum sensisse praestantissimum Usserium de litteris, quas à Britannis

(1) *Description de l'Ile Formosa en Asie, dressée sur les Memoires du Sieur George Psalmanaazar, natif de cette Ile. A Amsterdam, 1705.*

tannis accepiſſe Saxones ſuprà retuli: *What character the ancient* Britains *uſed, wether that which the* Saxons *after, as your Lordsbip (if I remember well) is of opinion, or the ſame with your ancient* Irish ..... *I dare not take upon me to determine, but ſhall here ſubjoin what I met with in a very old Manuſcript, ſometimes St.* Dunſtan's; *in which, beſides* Ars Euticis Grammatici de diſcernendis Conjugationibus *in the beginning, and* Ovid de Arte Armandi *at the end, are contain'd ſeveral other Pieces, ſome in* Saxon, *ſome in* Greek, *but in* Saxon *Characters; ſome in* Latin -- & inter alia, *after this Rubrick.* Nemninus iſtas reperit literas &c. Id eſt: „ Quibus uſi ſint litteris „ Britones antiqui, an iiſdem, quas poſteà „ Saxones uſurpavere, quae (ſi bene memini) „ ſententia tua eſt; an aliis, quae ſimiles eſ- „ ſent vetuſtis Hibernicis ..... liquidò af- „ firmare non auſim: at hîc addam quae mihi „ occurrerunt in veteri Codice Manuſcripto „ olim Sancti Dunſtani, in quo praeter Eu- „ ticis Grammatici Artem de diſcernendis „ Conjugationibus, quae initio habetur, & „ Ovidium de Arte amandi in fine, multa „ alia continentur partim Saxonica, partim „ Graeca Saxonicis litteris deſcripta; Latina „ etiam quaedam, inter alia ea, quae ſequun- „ tur: Nemninus iſtas reperit literas &c. ut

„ pag.

„ pag. 89. „ Si minus pro mero ingenii ludo hoc Nemnini Britonis alphabetum haberi poterit, certè fatendum erit valde oblitteratam fuiſſe apud Britones Αὐτόχθονας antiquitatum ſuarum memoriam, quo tempore hae litterae excogitatae ſunt; ſi quidem earum Auctor litteris majores ſuos caruiſſe crediderit.

Pag. 120. *v.* 26. *Ab Alexandri certè bellis &c.* Haec ita intelligenda ſunt, ut conſtet tamen illam Dialecti communis prae aliis praerogativam non niſi paulatim & per gradus quoſdam invaluiſſe. Haud enim ſum neſcius Callimachum, Theocritum, alioſque nonnullos etiam poſt Alexandri aetatem aliis Dialectis fuiſſe uſos. Quin etiam Indica ſua Arrianus, Adriano Imperatori aequalis, Jonicâ Dialecto deſcripſit.

Pag. 121. *v. ultimo.* De Aretaei aetate conſulendus eſt vir doctiſſimus Joannes Albertus Fabricius, Lib. IV. Biblioth. Graecae, c. III. pag. 100. & ſeqq.

Pag. 139. *poſt v.* 14. Ne quis autem pateat Harduïno effugiendi locus, deſcribam ejus verba è loco citato Diarii Eruditorum Pariſienſis, & in Latinum converſa ita refellam, ut egregium verſum ſuum Spondaïcum huc deinceps fruſtra allaturus ſit. (1) *Quelques-uns ont cru que cette inſcription etoit en langue Scla-*

(1) *Journal des Savans, Tom* XXXV. *pag* 525. 1707.

Sclavone. Mais outre que l'explication que nous venons de rapporter, detruit visiblement cette opinion; & que la copie, sur laquelle on l'a jugée ainsi, est très-fautive; c'est que pour y trouver par exemple; IMAGO DOMINI IN SUDARIO, *il faudroit lire en Sclavon:* Pild *ou* Poldoben Gosdub v' Antuelo: *car c'est la vraie signification de ces mots dans les Bibles Sclavones, dont il y a un exemplaire dans la Bibliotheque du College des Jesuïtes. Et dans toute l'Inscription dont il s'agit, il n'y a pas le moindre vestige d'aucun de ces mots Sclavons.* Id est: „ Fuerunt qui „ crederent hanc Inscriptionem Slavonicâ lin„ guâ esse descriptam. Sed enim, praeter„ quam quod ea interpretatio, quam modò re„ tulimus, hanc opinionem manifestò evertit, & vitiosissimum est illud exemplar, quo „ usi sunt qui ita censuere; ut hîc ea verba „ reperiantur, *Imago Domini in Sudario*, Sla„ vonica hoc modo legenda essent: *Pild*, aliàs „ *Poldoben Gosdub* (leg. *Gospuda*) *v' Antuelo:* ea „ enim vera est horum verborum in Bibliis „ Slavonicis significatio, quorum Bibliorum „ unum exemplar in Bibliotheca Collegii Je„ suïtarum asservatur. In ea verò, de qua agi„ tur, inscriptione ne vola quidem aut vesti„ gium horum verborum apparet.„ Haec Harduïnus, cujus sententiam, quae tota prodit ignorationem linguae Slavonicae omnino excu-

excuſabilem, niſi cum ſumma temeritate conjuncta eſſet, nullo negotio refutabimus. Quae verba hîc retulit ut Slavonica, ea ſunt ex corruptiſſima veteris illius linguae Dialecto deſumta; è Carinthiaca videlicet verſione Bibliorum Georgii Dalmatae, quae prodiit Vitebergae, anno Domini 1584. Ita enim cap. v. Deuteronomii haec verba Sacri Contextûs: Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem, Georgius Dalmata interpretatus eſt: *Ti ſi némash ſturiti obeniga Pilda v' obeni Podobi*; ubi vox *Pilda* ſculptile ſignificat, quam vocem procul omni dubio Carinthii ut complures alias è Germanica lingua mutuati ſunt, in qua *Bild* eâdem ſignificatione dicitur. Porro vetuſtas Slavorum voces in lingua Carinthiorum expiſcari, perinde eſt ac ſi quis è Bruccioli verſione Italica Bibliorum, Gruteri Inſcriptiones Romanas interpretaretur. Revocabo itaque Harduïnum ad veterem Slavorum linguam, ad Biblia nempe, quibus Bulgari, Servi & Moſcovitae jam ab octingentis annis utuntur, ex quibus eadem Deuteronomii verba Latinis litteris, cùm Slavonicae deſint, neque Graecae ſufficiant, exſcribam. Ea ſunt ejuſmodi in Bibliis Moſcuae editis anno Domini 1663. *Da ne ſotvoriſchi ſebie vaiania i nikoegodje obraza*; ubi vox *Obraz* eodem ſenſu atque in Inſcriptione, de qua hîc agimus, occurrit.

currit. In Lexico praeterea Savonico, anno Domini 1653. in Monasterio Kutenensi typis edito, ita hanc vocem Russi interpretantur ὄβραζ· Φιγύρα. Vox etiam ὄβρυς, quae in Inscriptione postrema est, in iisdem Bibliis legitur Lucae XIX: 20. *Ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: Se mnas tvoïa ioʒge imiech polodjenou vo oubrousie.* At quid opus est verbis? Peregrinantur hodie multi per Europam Moscovitae. Periculum faciat Harduïnus in quovis illorum liturgicae Slavorum linguae non rudi, nisi eam inscriptionem ita interpretur ut nos interpretati sumus, nihil erit quod intercedamus, quominus Spondaïcum Harduïni versum inter veterum Inscriptionum monumenta eruditi recipiant.

Haec mihi paulò fusius retractare visum est, ut temeritatem Harduïni eruditi nôrint, quae se ubique prodit. Sunt tamen viri etiam doctissimi, qui se paradoxas hujuscemodi interpretationes multis aliorum lucubrationibus anteponere profitentur. Fruantur, per me licet, judicio suo: viderint tamen ne si talis tantaque commentandi licentia passim concedatur, pereat omnium antiquorum monumentorum fides; in quibus ut in arte quorundam etymologica, quidlibet è quolibet, haud aegrè derivabitur. Ut enim nihil dicam de inepto Harduïni conatu in nummo Antonini

Cara-

Caracallae, Caphyatarum; quis non mirabitur ejus ſomnia in nummo Coſarum (1), in quo interpretando lictores Etruſcos tralatitiâ temeritate in lignatores transformavit, & vocabulum KOΣΩN ita infelici explicatione obſcuravit, ut jam nemo dubitare queat caducam oppidò fore nummorum fidem, ſi ſemel hujuſcemodi interpretationes inducantur. Certè ſtupendum eſt Harduïnum, ſublato omni genere monumentorum, ſolis fermè veteribus nummis peperciſſe, quos tamen hodie eo modo interpretari aggreditur, ut quidvis eâ methodo è quolibet nummo extundi poſſit. Coſarum nummos aureos duos vidi, in quorum tamen neutro prora navis conſpiceretur. Ceterùm Harduïniano planè ſimiles erant. Fabricam tamen neque Romanam, neque omnino Graecam redolebant; verùm neſcio quid barbarum & pravè cuſum prae ſe ferre videbantur, haud fortè alienum à ratione ſculpendi Etruſcorum. Ii certè nummi vetuſtiores fuerunt Auguſti Caeſaris aevo, quae fuit etiam ſententia doctiſſimi viri, qui mihi eos pro humanitate ſua perluſtrandos obtulit. At negat Harduïnus, Coſis familiarem unquam fuiſſe Graecarum uſum, quaſi verò neſcirent eruditi eadem in ora fuiſſe civita-

(1) *Journal des Savans, ſupplement, Octobre*, 1707. *pag.* 199. *ed. de Hollande.*

vitates à Pelasgis conditas, quae linguâ Graecâ uterentur; quod de Agylla testatur Strabo libro v. pag. m. 220. Refert itaque ad Augustum Cosarum nummum Harduïnus, quem etiam in Syria percussum arbitratur, & litteras KOΣΩN in inferiore nummi lembo descriptas ita exponit: Καῖσαρ ὅλην Συρίαν ὠνήσατο: Caesar opem toti Syriae tulit. Quae ubi perpenderint eruditi, non poterunt quin Harduïno acclament: Ὄναιο τῆς ἀνχνοίας Ἀρδουῖνε.

Pag. 138. *v.* 24. 25. *Ita sub littera* H *legitur*, Ἡροπᾶν &c. Postremam hanc Hesychii emendationem acceptam refero V. Cl. Ludolpho Kustero, à quo eam in colloquio familiari ante biennium audivi.

Pag. 145. *v.* 3. 4. *Ex quo & Berenice, quae filia fuit Megae.* Rescribe *Magae.* Hic locus in omnibus, quas quidem viderim, Theophili editionibus corruptus proponitur, neque Magam Cyrenarum Regem hîc memorari, Theophili editores suspicati sunt. Eum tamen hîc intelligendum esse manifestum est. Quam in rem adeundus est Reinerus Reineccius, Auctor minimè contemnendus, in Historiae Juliae, sive Syntagmatis Heroïci parte tertia, pag. 69. & 70. qui tamen contra Satyri fidem Ptolemaeum Philopa-

torem, Cleopatrae alterius Ptolemaei Euergetae uxoris filium fuiſſe perperam cenſet. Vid. etiam Vaillant in Stemmate Lagidarum Hiſtoriae Ptolemaeorum praefixo. Item conſulendae ſunt notae eruditorum ad cap. III. libri XXVI. Juſtini Hiſtoriarum.

Pag. 164. *v.* 1. *Epiſtolae Decretales.* Qui nobis objiciunt, in primo Conciliorum Tomo rejectas fuiſſe ab Harduïno inter *falſa* Antiquitatis monumenta Decretales veterum Epiſcoporum Romanorum Epiſtolas, Societatis artes haud ſatis perſpectas habere videntur. Tantum abeſt ut dubitaverim id facturum fuiſſe Harduïnum, ut de eo ne quidem interrogare voluerim, cùm commodum eſſet & tutò liceret. Sciebam etenim rem nondum eò adductam eſſe, ut palam moliri auderet Harduïnus, quae dudum animo premebat. Sufficiebat ei, ita ut eſt animato, ſi ad labefactandam deinceps Antiquitatem illa fundamenta jaceret, in quibus aut ipſe, aut alii poſt complures annos longè deteriores ſententias aedificarent. Conſequitur enim neceſſariò, ex iis quae ab Harduïno dicta ſunt, & tam pervicaci animo propugnata, Decretales Epiſtolas immeritò fictitiis Antiquitatis monumentis annumerari. Id, ſpero,

ro, confectum dedimus. Praetereà cùm jam operâ & ſtudio Loiolitarum Eccleſiam in rebus etiam facti minimè falli poſſe tanto ardore complures in Gallia Epiſcopi contendant, eaque ſit ipſius Romani Pontificis ſententia; nemo erit, opinor, ex eorum numero, qui ei ſententiae manus dederunt, qui jam negare audeat aut poſſit, tot Pontificum Romanorum Conſtitutionibus, tantâ ſequioris Traditionis conſenſione comprobatas Epiſtolas, legitimam ſibi auctoritatem comparaſſe. Cui quidem argumento quid reſpondere poſſint eruditi inter Pontificios, non ſatis intelligo. Quo circa de nobis non malè merebitur Harduïnus, ſi huic dubio obviam ire volet.

Pag. 175. *v.* 16. *Thomae Tamaii juſtum opus.* Titulum hîc apponam è Bibliothecae Scriptorum Hiſpaniae ejuſdem Nicolai Antonii Tomo I. parte 2. pag. 253. *Novedades Antiguas, eſto es defenſa de la doctrina de Flavio Lucio Dextro*; cui additur: *Antiguedad de la Religion Chriſtiana en el Reino de Toledo, para mueſtra de la verdad del miſmo Autor*: ſimulque, *Reſtauracion de algunas memorias en la Hiſtoria eccleſiaſtica illuſtres para Eſpana de ſu doctrina.* Madriti 1624. in 4.

Eod. pag. 175. *v.* 22. *Taceo innumeros &c.* Innumeri ſunt ſanè, quod dolendum eſt: ita enim hac foeditate corruptae ſunt Hiſtoriae recentiores Hiſpaniarum, ut jam vix ubi pedem figere poſſis invenias. Abolerunt nempe vetera monumenta Pſeudo-Dextri, Maximi, Luitprandi & Juliani mendacia, ita ut niſi è medio tollantur, quod vix ſperari poteſt, nihil bonae frugi à Scriptoribus Hiſpanis expectari poſſit. Hoc debet Hiſpania Loiolitis; hanc mercedem accepit tot beneficiorum & honorum, quibus Societatem auxit.

Pag. 183. ad Hiſtoriam inventionis falſorum montis Illipulitani monumentorum haec non incommodè addi poſſunt ex Andrea Mendo, Lucronenſi Loiolita, *de Jure Academico*, in Appendice §. v. *de Conceptione Immaculata*, pag. 452. 453. edit. Lugdun. in fol. „ Affirmat Doctor Mexia „ de la Cerda *in Orat. de Concept. fol.* 7. „ Apoſtolos congregaſſe Concilium juxta „ id, quod D. Theſiphon ſcribit, & in eo „ definiiſſe; *Illa Virgo, illa Maria, illa „ ſancta praeſervata fuit ab originali peccato, & ab omni culpa immunis. Et qui „ aliter ſenſerit, ſalutem aeternam non conſequetur.* Epiſcopus Fr. Franciſcus de So-

„ ſa,

„ſa, de Concept. fol. 9. validis rationibus „ſuadet propoſitionem hanc Concilii pro„ferre, neqſaquam eſſe opinioni contra„riae cenſuram infligere, cùm nihil aliud „fiat, quàm referre id, quod alii ſcribunt; „& non affirmetur illud Concilium eſſe ab „Eccleſia approbatum, eamque aſſertio„nem eſſe de fide. Deſumta autem fuere „ea verba ex libello Arabicè conſcripto, „ſub titulo *de domo gloriae. & de domo tor„menti*, invento in monte ſancto prope „Granatam, qui liber Eccleſiaſticâ aucto„ritate non fulcitur.„ Haec Loiolita Hiſpanus, qui etiam ad ſtabiliendum Dogma de Immaculata Conceptione Deiparae Virginis utitur ibidem teſtimoniis Dextri & Marci Maximi. De iiſdem falſis montis Illipulitani monumentis, & de fabuloſo Dextri Chronico fuſè diſſerit Ludovicus Lopez in libro, cui titulus eſt: *Tropheos y Anteguedades de la Imperial Ciudad de Saragoza*, cap. 4. 5. &c. libro ſecundo à pag. 376.

Pag. 192. Ad annotationem, in qua agitur de editione Martialis, quae Laurentio Ramireſio de Prado vulgò tribuitur, haec addenda ſunt è Bibliothecae Nicolai Antonii Tom. I. pag. 362. *Pentecontarchon, quod Laurentii Ramirezii à Prado editum fuit no-*

mine interpolatum ab eo tantùm, at à Sancio noſtro conſcriptum Scioppius exiſtimavit in .... Conſultatione ſecunda de Scholarum & ſtudiorum ratione, ubi de auctoritate agit linguae Latinae. Aliis Auctor creditur ejus operis Balthaſar de Ceſpedes ... Sancii gener ac diſcipulus, Ramirezii Magiſter. De quo nihil nobis liquet, nec temerè derogandum exiſtimamus magno nomini, atque in aliis aeque doctis comperto, quod hujus operis inſcriptum eſt fronti.

FINIS.

EPISTO-

EPISTOLA CHRONOLOGICA, ADVERSUS HARDUINUM.

EPISTOLA CHRONOLOGICA, ADVERSUS HARDUINUM.

VIR ERUDITISSIME,

CUM, non ità pridem, consilium tuum, de systemate Johannis Harduïni Latinè refellendo, amicè, pro humanitate tuâ, mecum communicares, memini me dicere, quandoquidem rem illam seriò tractandam susceperas, ut spem nobis feciſti in (a) Dissertatione tua Gallica, variis, quæ doctè, ut omnia, enarrabas argumentis, unum addi posse ex Characteribus Chronologicis desumptum. Arrisit tibi extemporanea & qualiscunque observatio, & illicò rogasti, ut paulò uberius mentem meam scripto declararem. Petenti tibi non

(a) Pag. 256.

annuere vix ſuſtineo, quem toties ſtudiis meis & diſquiſitionibus promptum & benevolum adjutorem expertus ſum. Ecce ergo aliquot obſervationes, quas judicio tuo permitto; hac lege, ut ſi quid tibi videatur aut nullius ponderis, aut parùm ad rem, illud candidè, & ſevero obelo notare, imò penitùs delere non dedigneris.

Affirmat Harduïnus, aut quiſquis eſt (*a*) *non inanis* ille *Conjector*, Harduïno familiaris, *Tullium*, *Plinium*, *Maronis Georgica*, *Flacci Sermones & Epiſtolas*, SOLA *ex omni* LATINA ANTIQUITATE *ſincera eſſe monumenta, præter inſcriptiones admodum paucas, Faſtoſque nonnullos*: reliquam (*b*) *falſorum Scriptorum ſegetem*, ab *exſecranda & deteſtabili quadam, ante annos* FERE QUINGENTOS *officina effuſam*, cujus (*c*) *princeps ac primarius operis architectus, jocoſè à Sodalibus* SEVERUS ARCHONTIUS dictus fuerit. Ideoque (*d*) *priſci illi Scriptores rerum* GRÆCARUM *vel* ROMANARUM, ipſi Harduïno *veniunt in ſuſpicionem*; Thucydides ſcilicet, Xenophon, Cteſias, Polybius, Diodorus, Dionyſius Halicarnaſſæus, Strabo, Suidas, Cæſar,

(a) *Harduïni, Proluſ. de Numm. Herod. p. 60.*

(b) *Pag. 68.*

(c) *Pag. 61.*

(d) *Chronol. Vet. Teſt. p. 228.*

sar, Livius, Suetonius, quos nominatim heic illic perstringit; ut &, quos obscurè, quantùm conjicio, indicavit, Plutarchus, Ælianus, Athenæus, Eustathius, aliique inter fabulosos aut confictos ab ipso repositi.

Calculos autem si ponamus, statim inveniemus *exsecrandam* illam *& detestabilem officinam*, extitisse post Christum natum sæculo XIII. ineunte, aut, ad summum, anno 30. circiter, vel 40. illius sæculi, imperante Friderico II.

Quod spectat regionem, Galliam satis clarè indicavit, cùm in iis, quæ (*a*) observavit de voce *Ducenarii*, sive *Duceparii*, à Gallica, ut arbitratur, *Duc & Pair* ortâ; tùm (*b*) in *Gallicismis*, quos apud Thucydidem, qualis extat, inveniri affirmat.

(a) *Pag.* 35.

(b) *Pag.* 152.

Adversus hoc, ante Harduïnum, inauditum pronunciatum, quatuor aut quinque capita breviter tractabo, quæ si tibi usui esse videantur, prolixiùs & doctiùs poteris enarrare.

I. DEFECTUS SIDERUM.

PALMARIUM, ut ego arbitror, subministrant argumentum, Observationes Astronomicæ, in specie Defectûs

utriuſque Sideris, quos, magno numero, annotarunt *priſci illi Scriptores rerum Græcarum vel Romanarum*; quoſque omninò improbabile eſt, ne dicam impoſſibile, ità accuratè ab hominibus ſæculi XIII. computatos fuiſſe. Accuratiſſimæ omnium Obſervationes, ſunt proculdubio Ptolemaïcæ. Sed quoniam incompertum mihi eſt, an Ptolemæi opera Aſtronomica pro genuinis habeat Harduïnus, qui ipſius Geographica aliquoties (*a*) notat, ſolos Hiſtoricos, hac in cauſa, teſtes advocabo.

(a) *Chronolog. V. T. pag.* 91. 176. 297.

1. Narrat Thucydides (*b*) *anno* 1. *Belli Peloponneſiaci*, (cujus *initium* fuit Olympiadis LXXXVII. anno 1. juxtà Euſebium) poſtquàm *Pythodorus, Archon Athenienſium*, Magiſtratu abiiſſet, (*c*) *Æſtate* ſequente, hoc eſt, Olympiadis LXXXVII. anno 2. ineunte, *Solem defeciſſe poſt meridiem, quibuſdam ſtellis factis conſpicuis.* Hujus Eclipſeôs meminit Plutarchus. (*d*) Ait enim *æſtivo tempore Solis deliquium accidiſſe, tenebraſque obortas*: & Valerius Maximus, (*e*) *obſcurato repente Sole, inuſitatis perfuſas tenebris Athenas.* Si Harduïnum audiamus, Scriptores illi ſæculo XIII. conficti fuerunt, nominatim verò Thucydides,

(b) *Thucyd. lib.* II. *init. ed. Steph.* 1564. *pag.* 48. *f.*

(c) *Pag.* 57. *f.*

(d) *Plutarch. in Pericle, ed. Francof.* 1620. *pag.* 171.

(e) *Valer. Max. lib.* VIII. *cap.* II.

dides, apud quem quatuor de hac Eclipsi habentur notata. 1. *Annus I. Belli Peloponnesiaci*, cujus initium hucusque collatum fuit in Olympiadis LXXXVII. annum 1. ad finem vergentem. 2. Tempus anni, *Æstas* scilicet. 3. Hora diei, *post meridiem.* 4. Magnitudo, *stellis quibusdam conspicuis.*

Certum est autem prædictos Characteres incidere in annum Periodi Julianæ 4283. cujus die Augusti 3. inter horam 5. & 6. vespertinam, Sol adeò obscuratus est, ut stellæ conspici potuerint. Henricus Buntingus illius Defectûs Epilogismum (*a*) exhibet, ostenditque Solem tunc obscuratum dodrante suæ diametri, sive Digitis 9. ut loquuntur Astronomi. Sed, post illum, (*b*) Sethus Calvisius, (*c*) Philippus Lansbergius, & (*d*) Dionysius Petavius, ex calculis accuratioribus, invenerunt Solem tunc defeciisse Digitis 10. cum dimidio, adeoque vix ejus octavam partem conspicuam fuisse. Talia autem divinando, si Diis placet, assecuti sunt *Severi Archontii* Sodales, quo tempore ignotus fuit usus Tabularum Astronomicarum, quæ, saltem in Europa, nullæ erant.

(a) *Buntingus Chron. fol.* 108. *b.*

(b) *Calvis. Isag. Chron. cap.* 7. *p.* 60. *f.*

(c) *Lansb. Chron. Sacr. lib.* II. *cap.* 9.

(d) *Petav. Doctr. Temp. lib.* VIII. *cap.* 13. *pag.* 792.

Non me latet, primum ex supradictis Characteribus ab Harduïno in dubium vocari; quia, ut contendit, (a) *Thucydides, qui quidem circumfertur*, à Pliniano *calculo dissidet annis ipsis tribus & viginti.* Plinius enim ait, (b) *effloruisse Medicinam, Magicenque, illam Hippocrate, hanc Democrito illustrantibus, circa Peloponnesiacum Gracia Bellum, quod gestum est à* CCC. *Urbis Condita anno:* cùm juxtà Thucydidis aliorumque calculos, Bellum istud inceperit anno Urbis CCCXXIII. Varroniano.

(a) *Chron. pag.* 152. 154.

(b) *Plin. lib.* XXX. *cap.* 1. *sect.* 2.

Sed (1) esto. Num uni Plinio, qui unâ lineâ, & quasi per transennam, de hoc Bello loquitur, plus credendum quàm Thucydidi, qui hujus integram, & per suos annos digestam historiam exhibere voluit; Diodoro, Eusebio, aliisque? (2) Neque constat ab illis Plinium dissentire. Ipsius numeros à Librariis corruptos fuisse, centies queritur Harduïnus. Quid vetat dicere, hîc numeros XXIII. excidisse, aut omissos Librariorum incuriâ, & pro *anno* CCC. legendum, *anno* CCCXXIII? (3) Sanè, numerus Plinianus, rigidè sumptus, stare nequit. Nam & (c) Democritus, & (d) Hippocrates, (e) fatente

(c) *Diog. Laërt. lib.* IX. *in Democrito.*

(d) *Soranus in Vita Hippocratis.*

(e) *Harduïn. ad Plin. lib.* XXIX. *cap.* 1. *sect.* 2.

tente Harduïno, nati sunt Olympiade LXXX. hoc est, Urbis Conditæ anno CCXCIV. Sexennes igitur fuissent U. C. anno CCC. Quis credat? Quod si Olympiadum initium annis 12. in anteriora protraheretur, ut vult Harduïnus, sed sine causa, (quemadmodum infrà demonstrabimus) tamen Hippocrates & Democritus annos tantùm 18. vitæ suæ tunc compleviſſent. (a) *Viderint igitur eruditi, num* Plinianus computus rigidè sit accipiendus. Mihi non ità videtur. (4) Nec enim ait Plinius Bellum Peloponnesiacum gestum fuisse, aut inchoatum *anno tercenteſimo*, sed *à tercenteſimo anno*, hoc est, *poſt tercenteſimum annum*, numero usus rotundo, ut vocant. Vulgatissimum autem est, *à* sumi pro *poſt*, idque etiám apud Plinium, ut ex Harduïni ipsius Indice patebit. (b) *Poſt ſepulturam*, inquit Plinius, *variæ Manium ambages. Omnibus* A SUPREMA DIE *eadem, quæ ante primum: nec magis* A MORTE *ſenſus ullus aut corpori aut animæ, quàm ante natalem.* Si verò intervallum annorum 23. nimium videatur, ut voculis *à* vel *poſt* includi debeat; attende ad hæc Plinii verba, ex eodem libro: (c) *Sp. Tarpeio*,

(a) *Chron. Vet. Teſt. pag.* 152.

(b) *Plin. lib.* VII. *cap.* 55. *ſect.* 56.

(c) *Cap.* 28. *ſect.* 29.

peio, A. Aterio Conſulibus, haud multò poſt exactos Reges, &c. hoc eſt, annis ſolidis 55. *Reges* enim *exacti* ſunt anno CCXLV. *Conſules* autem fuerunt *Sp. Tarpeius & A. Aterius*, anno CCC. Fruſtrà igitur Thucydidem cum Plinio committere, illiuſque fidem elevare conatus eſt Harduinus.

2. Plinius, de quo jam dixi, aliud nobis ſubminiſtrat exemplum, his verbis: (a) *Rationem Defectûs utriuſque* (Sideris) *primus Romani generis in vulgus extulit Sulpicius Gallus, qui Conſul cum Marcello fuit; ſed tùm Tribunus militum, ſollicitudine exercitu liberato, pridie quàm Perſeus Rex ſuperatus à Paulo eſt, in concionem ab Imperatore productus ad prædicendam Eclipſim, mox & compoſito volumine.* Sed, quo Anno illud acciderit, quâ anni Tempeſtate, quo Menſe, quo Die, quâ Horâ contigerit Eclipſis, & (quod præcipuum erat) cujus generis, Soliſne an Lunæ; de his altum in Plinio ſilentium. Verùm, (b) *qui Hiſtoriæ veteris concinnandæ partes ſuſceperunt, qualem nunc habemus, cùm nulla tunc exſtaret*, ea quæ Plinius omiſerat, proprio marte ſuppleverunt. Scilicet, in ſuo Eutropio ſcripſerunt; (c) *Cum Perſeo Æmi-*

(a) *Plin. lib. 11. cap. 12. ſect. 9.*

(b) *Proluſ. pag. 60.*

(c) *Eutrop. lib. IV.*

Æmilium Paulum Consulem III. *Nonas Septembris dimicasse.* In Justino, (a) *Æmilium Paulum Consulem creatum, & pridie quàm pralium conseretur, Lunam nocte defeciſſe.* Apud Plutarchum, (b) *Æmilio Paulo Consule* II. *creato*, (c) *ſub exitum Æſtatis*, (d) *nocte cùm poſt cœnam ſomno ſe dediſſent milites, ſubitò Lunam, cùm pleno lumine ſublimiſque fulgeret, obſcuratam eſſe, ſuâque luce amiſſâ, variis coloribus obductam, in tenebras abiiſſe.* Tandem Hiſtoriæ Livianæ hæc inſeruerunt; (e) *Poſt circumactum ſolſtitium, . . . flagrantiſſimo æſtu, . . . C. Sulpicius Gallus, Tribunus militum, . . . Conſulis permiſſu, ad concionem militibus vocatis, pronunciavit, nocte proximâ, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda uſque ad quartam horam noctis, Lunam defecturam eſſe. . . . Itaque . . . nocte, quam pridie Nonas Septembris inſecuta eſt dies, editâ horâ Luna cùm defeciſſet, Romanis militibus Galli ſapientia propè divina videri*: &c.

(a) *Juſtin. lib.* XXXIII. *cap.* I.

(b) *Plutar. Æmil. Paul. pag.* 260.

(c) *Pag.* 263.

(d) *Pag.* 264.

(e) *Liv. lib.* XLIV. *edit. Francof.* 1588. *pag.* 568. 569.

Unum hîc lubens agnoſco Plutarchi errorem, cùm Eclipſim factam refert *ſub exitum Æſtatis.* Legerat ſcilicet eam contigiſſe III. *Nonas Septembris.* Sed, aut ignoravit, aut non obſervavit, tunc tem-

temporis, ex incuria ſummorum Pontificum, valdè luxatum fuiſſe Romanorum Calendarium, quod pluribus explicat (*a*) Joſephus Scaliger. Hoc ſi excipias, reliqua omnia incidunt in annum Per. Jul. 4546. cujus die Junii 21. *circa Solſtitium*, facta eſt Eclipſis Lunæ totalis. Illius finis, juxtà Buntingi (*b*) Epilogiſmum, accidit horâ 9. veſpertinâ, hoc eſt, horâ ſecundâ noctis; non longè à vero. Sed juxta (*c*) Calviſii accuratiores calculos, omninò obſcurata fuit ab hora 8. 24'. ad horam 10. 5'. hoc eſt, examuſſim, *ab hora ſecunda, uſque ad quartam horam noctis*. Proximè accedit Petavius, (*d*) qui integram obſcurationem factam ait, paulò ante horam octavam, finem autem Eclipſeôs horâ decimâ.

(a) *Scal. Em. Temp. lib.* 11. *pag.* 185. 186.

(b) *Bunt. fol.* 165. *b.*

(c) *Calviſ. Iſag. Capp.* 5, 6, 7. *pag.* 55. *& ſeqq.*

(d) *Petav. Doctr. Temp. lib.* VIII. *cap.* 13. *pag.* 817.

Quod ſi ne Buntingus quidem tempus accuratum invenit, ex Tabulis quas habebat; quis ſibi perſuadeat *deteſtabilem* illam ſæculi XIII. *Officinam*, tempus Eclipſeôs tàm accuratè divinaſſe, & cum hiſtoria conjunxiſſe? Quâ arte, quæſo, *Severus Archontius* idem præſtiterit in tot Eclipſibus, quæ paſſim ab Hiſtoricis annotantur? Plures enim hujuſcemodi facilè ſeligere poſſem, ex aliquot

quot centenis, quæ à (*a*) Ricciolo referuntur.

(a) *Ricciol. Almag. lib. v. cap. 19.*

Dices fortaſſe, *Severum Archontium* ex calculis & ſupputandi peritia, hæc habuiſſe. Sed quibuſnam Tabulis uſus eſt? Alphonſinæ, quas vocant, nondum natæ erant. Nam Alphonſus X. Hiſpaniæ Rex, cujus impenſis regiis editæ ſunt, regnum adeptus eſt anno Chriſti 1252. biennio ferè poſt mortem Friderici II. quo imperante Archontiana Officina Hiſtoriam ſuam fabricabat. Ante Alphonſum verò, Chriſtiani Europæi planè hoſpites erant in Aſtronomia, quæ apud illos, Cimmeriis, ut dicunt, tenebris obvoluta jacebat. Juvat audire inſignem Aſtronomum, Joannem Keplerum: (b) *Coorta Gentes & Imperia nova, hinc Hunnorum & Gothorum, inde Arabum; quorum alteri barbari & hebetes, alteri ingenioſi quidem, ſed ſuperſtitioſiſimi. Ab illis igitur ex Europa pulſa, & ad hos in Africam devoluta* SIDERUM DISCIPLINA, *ſervitutem ſervivit turpiſſimam, ſub Genethliacis, Sortilegis, Magis, Quæſtionariis, . . . quibus hominibus, lucra ſola quærentibus, & impietate obſtrictis, Siderum inſpectio* TABULARUMQUE *certitudo, & cum cœlo*

(b) *Kepler. Tab. Rud. Præf. pag. a 2.*

cœlo comparatio, CURÆ HAUD QUAQUAM *fuit per aliquot ſæcula.* An ità rudes Europæi, in retroactis ſæculis, tot Siderum Defectus, tàm certò, tàm accuratè ſuis temporibus aſſignaverint?.

3. Iſta quidem ſufficere poſſint. Liceat tamen tertium addere exemplum, quo ipſe uſus eſt Harduïnus in ſua Chronologia adornanda, vulgari ſubruenda; Eclipſim ſcilicet Lunarem, quæ contigit ante Pugnam, quâ Darius ab Alexandro victus eſt. De hac Plinius: (a) *Nobili apud Arbela magni Alexandri victoriâ, Luna defeciſſe noctis ſecundâ horâ prodita eſt; eademque in Sicilia exoriens.* Hunc locum poſtquam adduxit Harduïnus, ita fatur: (b) *Nihil omnino dici poteſt hac obſervatione ſiderali aut* ACCURATIUS *aut majoris momenti ad rationem temporum ſtatuendam: præterquam quod etiam diſtantiam locorum ac meridianorum optimè docet: eſtque adeo ad Geographiam æque atque ad Chronologiam utilis. Ex ea certe effi itur* APERTISSIME, Urbis Conditæ 430. *anno ſuperatum ab Alexandro Darium fuiſſe, menſe Maïo*; hoc eſt, anno Per. Jul. 4390. ſive vulgaris Olympiadis CXIV. anno 3.

(a) *Plin. lib.* 11. *cap.* 70. *ſect.* 72.

(b) *Chron. Vet. Teſt. pag.* 160. 161. *f.*

Pace

Pace Harduïni, nihilne *dici potest accuratius* verbis Plinianis, quæ neque diem Observationis, neque mensem, aut anni tempestatem, neque annum significant? Deinde, verba Plinii, presse intellecta, *distantiam meridianorum* Arbelæ & Siciliæ, ponunt unius horæ cum dimidio circiter, aut saltem infra duas horas; cùm, ex ipsius Harduïni calculis, horarum sit duarum cum quadrante.

Fateor me ignorare, an hæc differentia Observationibus Recentiorum suffulta sit. At Mappæ vulgares Geographicæ, horis 3. præterpropter horum locorum distantiam finiunt. Idem ferè Ptolemæus; qui gradus 46. hoc est, horas 3. integras numerat inter Carthaginem & Arbela. (*a*) Carthagini enim gradus 34. & (*b*) Arbelis gradus 80. Longitudinis tribuit. Ideoque scribit, (c) *Eclipsim Lunarem, quæ visa est Arbelis horâ* 5. *Carthagine horâ* 2. *conspectam fuisse.* Plinio saltem *accuratius.* Sed audiamus Historicos, qui de rebus Alexandri Magni scripserunt.

(a) *Ptol. Geog. lib.* IV. *cap.* 3. *pag.* 97. *edit. Amst.* 1605.

(b) *Lib.* VI. *cap.* 1. *pag.* 147.

(c) *Lib.* I. *cap.* 4.

Q. Curtius, ut notissimus, primus loquatur: (d) *Primâ ferè vigiliâ*, inquit, *Luna deficiens primùm nitorem sideris sui con-*

(d) *Q. Curt. lib.* IV. *cap.* 10.

condidit; deinde ſanguinis colore ſuffuſo, lumen omninò fœdavit. Hæc verba adhuc *accuratiora* Plinianis mihi videntur. Significant enim ante horam 9. veſpertinam, ut nos putamus, Lunam *primùm* cœpiſſe obſcurari, & *deinde* lumen ſuum *omninò* amiſiſſe, hoc eſt, Eclipſim fuiſſe *totalem*; quod utrumque ex Plinio nullo modo elici poteſt. Pergit Curtius, Alexandrum adverſus Darium caſtra moviſſe (a) *tempore æſtivo*, & (quantùm ex narrationis ſerie colligere licet) Pugnam commiſſam octo aut novem diebus poſt Eclipſim.

(a) *Cap.* 12.

(b) *Plut. in Alex. pag.* 683.

Plutarchus ait, (b) *Lunam defeciſſe Menſe Boëdromione, ſub initium Myſteriorum, quæ Athenis celebrantur; & undecimo ab Eclipſi die* Darium victum; quod factum fuiſſe (c) *Boëdromionis* 26. *die*, alibi diſertè docet. Oportet igitur Eclipſim viſam Boëdromionis 16. Congruenter ſanè: nam eodem (d) Plutarcho, & (e) Polyæno teſtibus, *Magna Myſteria Boëdromionis* 16. *Athenis celebrabantur.*

(c) *In Camillo, pag.* 138.

(d) *In Phocione, pag.* 744.

(e) *Polyan. Stratag. lib.* III. *cap.* 11. §. 2.

Hunc excipiat Arrianus, qui narrat, (f) *Menſe Hecatombæone, Ariſtophane Archonte, Alexandrum Thampſacum pervenisſe*; inde *Babylonem contendiſſe, non re-*

(f) *Arrian. lib.* III. *edit. Steph.* 1575. *pag.* 56.

ctâ viâ, sed commodiore, quâ æstus tantopere gradientes non torreret. Per id tempus, ingentem Lunæ defectionem fuisse; Aristandrum prævidisse prælium eo ipso mense committendum; & nono circiter die Darium victum. Post quorum narrationem, ita concludit; (a) *Hic fuit pugnæ exitus, Archonte Athenis Aristophane, mense Pyanepsione, atque ita Aristandri vaticinium verax fuit, eodem mense, quo Lunæ defectus visus est, Alexandrum & prælium commissurum, & victoriâ potiturum.* Quoniam autem *Pyanepsion* statim sequitur *Boëdromionem*, videtur Arrianus, proximitate mensium deceptus, unum pro alio incautè scripsisse; nisi malimus dicere, ipsum paucorum dierum errore lapsum esse.

(a) *Pag.* 63.

Diodorus mensem aut tempestatem anni non adscripsit, nec Eclipseôs meminit; sed (b) Pugnam ad Arbela confert in *Olympiadis CXII. annum 2. Archonte Athenis Aristophane.*

(b) *Diod. lib. XVII. cap. 49. & seq. ed. Steph.* 1559. *pag.* 588. & *seq.*

Eundem annum colligo ex Dionysii Halicarnassæi loco, quamvis corrupto; sed quem, parvo labore, & solâ vocum transpositione, ità restituendum puto: (c) Οὗτος γὰρ (Δημοσθένης) μόνος εἰς δικαστήριον εἰσελήλυθεν μετὰ τὴν Φιλίπ-

(c) *Dion. Halicarn. ad Amm. ed. Lipsi.* 1692. *tom.* II. *pag.* 124. *fin.*

Φιλίππου τελευτὴν, καθ' ὃν χρόνον Ἀλέξανδρος τὴν ἐν Ἀρβήλοις ἐνίκα μάχην, μετὰ τὸν πόλεμον μὴν ἐνιαυτὸν, ἐπ' Ἀριστοφῶντος Ἄρχοντος, μετὰ ἢ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην ὀκτώ. Hoc vult Dionyſius; *Poſt mortem Philippi, Demoſthenem Orationem habuiſſe* De Corona, (Olympiadis CXII. anno 3.) *Archonte Ariſtophonte* (qui Ariſtophani ſucceſſit, Diodoro, Arriano, & ipſo (a) Dionyſio, teſtibus) *anno uno poſt victoriam Alexandri ad Arbela*, (partam, ut vidimus, Olympiadis CXII. anno 2. Archonte Ariſtophane) *& annis octo poſt Pugnam ad Charoneam.* Hæc enim commiſſa eſt, (b) *Olympiadis* CX. *anno* 3. *Charondâ Archonte*, ex Diodoro; &, ut ait Plutarchus, (c) *Archonte Charondâ*, (d) *Metagitnionis* 7. *die.*

(a) *In Dinarcho, pag.* 116.

(b) *Diod. lib.* XVI. *pag.* 554. *cap.* 86.

(c) *Plut. in Demoſth. pag.* 857. *& Orat.* X. *Vit* 4.

(d) *In Camillo, pag.* 138.

Anno poſt Pugnam ad Arbela, Darium à ſuis occiſum fuiſſe, teſtantur omnes, qui de rebus Alexandri ſcripſerunt. Legimus in Chronicis Euſebii, *Olympiadis* CXII. *anno* 3. *Dario interfecto, Perſarum Regnum deſtructum* fuiſſe; quod convenit cum Arriano, qui (e) Darium occiſum narrat, *Archonte Ariſtophonte, menſe Hecatombæone*, hoc eſt, ineunte Olympiadis CXII. anno 3. in quem,

(e) *Arrian. lib.* III. *pag.* 69.

(a) eo-

(a) eodemque *Aristophonte Archonte* Darii mortem confert Diodorus. (a) *Diod. lib. XVII. cap. 73. pag. 601.*

Resumamus jam supradictos omnes Characteres. Prælium commissum fuit ad Arbela;

Olympiadis CXII. anno 2. ut expressè Diodorus, & consequenter Eusebius.

Aristophane Athenis Archonte; juxtà Diodorum & Arrianum; & ex consequentiâ, juxta Dionysium.

Flagrante æstu; ex Curtio & Arriano.

Boëdromionis 26. teste Plutarcho. Est autem tertius mensis Æstivus, ut in sequentibus videbitur. Eclipsis autem facta est decem circiter diebus ante pugnam; in quo concordant Curtius, Plutarchus, & Arrianus.

Quando Mysteria Athenis celebrabantur, ut ait Plutarchus. Hæc, *Magna* dicta, agebantur Boëdromionis 16. ex Plutarcho & Polyæno.

Arbelis visa horâ secundâ noctis, ex Plinio; vel *quintâ*, ex Ptolemæo.

In Siciliâ, oriente Lunâ, secundùm Plinium.

Carthagine verò horâ secundâ, juxtà Ptolemæum.

Incepit autem obscurari *vigiliâ primâ*, Arbelis, & deinceps *Totalis* fuit; quæ duo solus observat Curtius.

Hæc omnia accuratissimè conveniunt Anno U. C. 423. Varroniano, Per. Jul. 4383. Septembris 20. quo die facta est Eclipsis Lunæ totalis. Incepit illa, Arbelis quidem (*a*) horâ 8. 45′. vespertinâ, ex Buntingo; vel (*b*) horâ 8. 20′. ex Petavio; hoc est, *vigiliâ primâ* labente, post *horas duas* noctis. Integra obscuratio fuit ab horâ 9. 2′. ad horam 11. 6′. ex Buntingo; vel ab horâ 9. 38′. ad horam 10. 40′. ex Petavio. Ergo *horâ quintâ noctis*, tota in tenebris erat. Sed propter meridianorum differentiam, horarum 3. tunc Carthagine erat hora 2. Ibidemque, ut & in Sicilia, Luna oriens jam maximam partem obscurata erat.

(a) *Bunt. fol.* 126.

(b) *Petav. D. T. lib.* VIII. *cap.* 13. *pag.* 804.

Quæ cùm ità sint, frustrà Harduïnus (*c*) aliam Eclipsim *primus indagavit*, factamque invenit post *annos octo*, sive Anno U. C. 430. Maii 8. Arbelis, ab horâ 8. 40′. ad horam 11. 47′. quæ, quamvis, propter noctes tunc temporis breviores, paulò accuratiùs respondeat horæ Plinianæ; nec Totalis fuit, nec Æstate labente, nec Anno Olympiadico suprà memorato; sed nec eo tempore, quo Darium adhuc in vivis fuisse, hucusque creditum est. Inde fit, ut historiam Alexandri Magni, antiquarum omnium

(c) *Chron. Vet. Test. pag.* 161. 162.

omnium notissimam, funditùs subvertat, illiusque regni *annos duodecim* auspicetur ab anno illo, qui cæteris Chronologis, pro ultimo Alexandri computatus est.

II. FASTI CONSULARES.

SECUNDUM offerunt argumentum Fasti Romanorum Consulares, cui tamen non diu immorabor; tùm quia mentem suam non satis hîc aperuit Harduïnus; tùm quia longâ probatione non indigent ea, quæ à nobis dicenda sunt, quippe paucissimis, fortè nulli doctorum incognita.

Concessit Harduïnus (a) *Fastos vonnullos* pro sinceris esse habendos. Sed quinam sint illi Fasti, non docet. Num Fastos Aurelii Cassiodori intellexit, qui à primis Romanorum Regibus, ad ultimos ferè Consules pertingunt? An Græcos illos ampliores, qui habentur in Fastis Siculis, sive Chronico Alexandrino? Num tandem Viennenses, quos, ex Bibliothecâ Cæsareâ, edidit Henricus Norisius, (b) quosque, (c) *ut perfectissimos*, quoad Chronologiam, secutus est Theod. J. ab Almeloveen, in nuperâ *Fastorum Romanorum* editione?

(a) *Prolus. pag. 60.*

(b) *Noris. Epoch. Syro-Maced.*

(c) *Almel. Fast. anno 1705. Præf. ** 2. verso.*

De duobus posterioribus dubitare licet. Illi enim in Siciliâ (non in Galliâ) reperti sunt Sæculo XVI. Isti in Germaniâ. Sed esto: penes *Severum Archontium* fuerint omnes illi Fasti. At certè, Fastos marmoreos non vidit, qui (a) *altissimis ruinis obruti, mille & amplius annis remanserant*, usque ad (b) Annum 1546. quo ex variis locis effossi, in Capitolium translati sunt anno sequenti. Quî verò fieri potuit, ut plerumque Consules, aliique Magistratus, apud Livium, Dionysium, & Diodorum, rectiùs conveniant cum Fragmentis marmoreis, quàm cum aliis Fastis quibuscunque; si Diodorus, ut (c) *fabularum narrator*, postponendus; si Dionysius (d) *nullum Ionismi vestigium aut indicium præ se ferens*, rejiciendus; si Livio tandem, etiam (e) aliis Scriptoribus suffragantibus, fides abroganda?

(a) Onuphr. Fast. Comm. Præf. edit. Heidelb. 1588. pag. 4.

(b) Gruter. pag. 289.

(c) Chron. Vet. Test. pag. 2.

(d) Pag. 91.

(e) Pag. 175. 176.

Ex innumeris exemplis, unum duntaxat afferam, non studio quæsitum, sed ut sese obtulit sub finem Historiæ Dionysianæ, quæ brevi post secundum Fragmentum marmoreum terminatur. Ex hoc igitur (f) ultimum quadriennium descripsimus, conferendum cum aliis Fastis, quorum illos, quos apud me habeo, statim subjungam. Hi

(f) Gruter. pag. 289. Onuphr. Fast. Append. pag. 29. & seq.

CCC. S . . . . .

(301) P linus. . . .

(302) A IN. R. . . .
ntur
potestate.
S I N us. . . .
us. . . . .
S . . . . .
. . . .
. . . .

(303) . . . .
. . . .

(a) *Dion.* Dionysiu[s] *complete*,

lib. x. *pag.*

Hi tres posteriores Fasti, Siculi, Cassiodori, & Norisii, immane quantùm discrepant à Marmoreis; ad quos, è contrà, proximè accedunt Livius, Diodorus, & Dionysius! Conferenti patet; Nec verbis opus est, sed oculis: & similia ubique ferè observabuntur, si cui hanc collationem instituere volupe sit. Nunc dicat, quæso, Harduïnus, quibus auxiliis *Severus Archontius*, quisquis ille fuerit, *priscis illis Scriptoribus rerum Romanarum*, tot Consulum, aliorumque Magistratuum nomina & cognomina inseruerit, post tria integra sæcula tantùm detegenda.

III. ARCHONTES ATHENIENSIUM.

QUÆ de *Fastis Romanorum Consularibus*, mox dicta sunt, eadem dici possunt de *Fastis Athenienſium Archontiacis*, quos ità appellare liceat, quorumque, nomen ipsum *Severi Archontii*, memoriam jam pridem refricaverat.

Notissimum est, apud priscos Scriptores Græcos, Magistratuum Athenienſium, quos Ἄρχοντας vocabant, mentionem sæpissimè fieri, eorumque nominibus eosdem Scriptores uti ad

tempora designanda, haud aliter ac Romani Consulum. Illorum Archontum seriem, per duo ferè sæcula, passim reperire est, scilicet ab Olympiade LXXV. ad Olympiadem CXXI. inclusivè; quæ, maximam partem, debetur Dionysio Halicarnassæo, & Diodoro Siculo, Scriptoribus Harduino suspectis. In libris qui supersunt Diodori, Archontes, non interrupto ordine, exhibentur ab Olympiade LXXV. ineunte, ad Olympiadis CXIX. annum 3. Dionysius, in Historiâ, sive Antiquitatibus Romanorum, Archontes nominat, qui anno primo cujusque Olympiadis, Magistratu functi sunt, ab Olympiade LXXI. ad Olympiadem LXXXIV. cujus fine desinit Historia ejus quæ extat. Sed in Dinarcho, & in Epistolâ ad Ammæum, seriem Archontum subministrat, ab Olympiade CIV. ad Olympiadem CXXI. inclusivè. Reliquos prætereo hac illac sparsos, quos, cum supradictis, ex variis Auctoribus, magnâ diligentiâ collegit Johannes Meursius Tractatu speciali *De Archontibus Athenienſium.*

Istorum Characterum ope, priscorum Græcorum res gestas, ad propria tem-

tempora, sæpissimè revocarunt posteriores Chronologi. Exemplum sumamus ex Transitu Xerxis in Græciam, ubi desinit Historia Herodotæa, incipit Diodori Græca. Refert Herodotus, Xerxem perveniſſe in Atticam (a) *Calliade Athenis Archonte.* Quo autem anno acciderit, *Pater* ille *Historiæ*, quem unicum ducem sequitur Harduïnus, non aliter docet, quàm circà id temporis, (b) *Ludos Olympicos* actos fuisse, nec à *Filiis* cognitus fuisset, sine Archontum serie, quam ab aliis habuerunt. Primi, quos (*c*) Diodorus nominat; hoc ordine disponuntur, & Annis Olympiadicis subnotatis assignantur.

(a) *Herod. lib.* VIII. *cap.* 51. *ed. Steph.* 1618. *pag.* 478. *f.*

(b) *Lib.* VII. *cap.* 206. *lib.* VIII. *cap.* 26. *pag.* 452. 471.

(c) *Diodor. lib.* XI. *cap.* 1 27. 38 41. *pag.* 242. 257. 262. 263.

Ol. LXXV. 1. CALLIADES.
2. XANTIPPUS.
3. TIMOSTHENES.
4. ADIMANTUS.
&c.

Sic, quod Herodotus nos ignorare sinebat, ex Diodoro discimus, Transitum Xerxis in Græciam, factum Olympiade LXXV. ineunte. Diodoro coætaneus Dionysius Halicarnassæus docet etiam (d) *Olympiade LXXV. Athe-*

(d) *Dion. lib.* IX. *init.*

Athenis Archonte Calliade, Xerxem expeditionem feciſſe in Græciam. Idem lego in Chronico Euſebii, editionis Baſileenſis, (a) *Olympiad. LXXV. anno 1. Xerxes, cùm Athenas veniſſet, incendit Urbem, ſub Principe Calliâ:* quamvis editio Scaligeri conferat in Annum antecedentem; & editio Pontaci rem in dubio relinquat. Non aliter Thomas Magiſter; (b) *Euripides*, inquit, *natus eſt circà Olympiadem LXXV. Archonte Calliâ, cùm Xerxis claſſem Athenienſes ſuperârunt.* Denique Diogenes Laërtius, adhuc clariùs Annum Calliadis aſſignat, dum ait, (c) *Euripidem natum Olympiadis LXXV. anno 1. Archonte Calliade.* Conſtat igitur, caput ſeriei Archontum, quam habemus, rectè aſſignatum; neque id arduum fuiſſe, ſi modò omnes ſupralaudati Scriptores, ut ſuppoſitii, non ſint rejiciendi, & ſaltem unus pro genuino recipiatur.

(a) *Euſeb. Chron. edit. Baſil. 1549.*

(b) *Thom. Mag. Vit. Eurip. edit. Cantab. 1694. fol.*

(c) *Diog. Laërt. lib. II. in Socrate.*

Sed, undenam ſequentes Archontes expiſcatus eſt Diodorus, ſi iſte (d) *fabularum narrator*, ante quatuor aut quinque ſæcula lucem vidit? Velim, ad hoc quæſitum, ſine ambage, reſpondeat Harduïnus. Si *Diodori Bibliotheca hiſtorica*, quam vocamus, fœtus fuit

(d) *Chron. Vet. Teſt. pag. 2.*

Severi

Severi illius *Archontii*, Sæculo XIII. editus; quibusnam in fontibus suprano-minatos Archontes hausit, eorumque seriem per bina ferè sæcula non inter-ruptam? Beabit nos Vir doctus & sa-gax, si alicubi Fastos Atticos adhuc la-titantes commonstret, quibus uti po-tuerit *Severus Archontius*.

Fictosne dicet omnes qui extant, aut pleroſque, ab *exsecrandâ* illâ *Officinâ*, quam supponit? (a) *Vereor ut cuiquam sua-deat.* Notum enim est hodiernis Chro-nologorum pueris, inter *Marmora Oxo-niensia*, eximium illud ex Græciâ (b) An-no 1627. advectum; ubi priores Ar-chontes nominantur, cum notatione temporis, ex quâ patet, cuique suum Annum rectè à Diodoro fuisse assigna-tum. Quæ ibi leguntur, (c) hîc sub-jicio.

(a) *Prolus.* pag. 60.

(b) *Marm. Oxonienſ. ed. Oxon.* 1676. *fol. Præf.* a 3.

(c) *Pag.* 159. & 169. 170.

Epoch. 52. *A quo Xerxes navigiorum pontem junxit in Hellespontο, . . . anni* CCXVII. *Archonte Athenis Calliade.*

Epoch. 53. *A quo ad Plataas commissa est pugna, . . . anni* C[CX]VI. *Ar-chonte Athenis Xantippo.*

Epoch. 54. *A quo Gelon Dinomenis F. Syracusis tyrannidem occupavit, anni* CCXV. *Archonte Athenis Timosthene.*

Epoch. 55. *A quo . . . posita sunt imagines Harmodii & Aristogitonis, anni* CC[XIIII.] *Archonte Athenis Adimante.*

Terminus citerior Marmoris, &, ut ità dicam, *medius*, est Annus Per. Jul. 4451. Nam, quædam sunt Epochæ, quæ deduci videntur ab Anno antecedente, Per. Jul. 4450. aliæ verò ab Anno sequente, Per. Jul. 4452. Annis igitur 217. qui hîc Calliadi tribuuntur, demptis ab Anno Per. Jul. 4451. residuum dat annum Per. Jul. 4234. in quem confertur *Annus primus Olympiadis LXXV.* Eâdem methodo demonstrabuntur Anni sequentium Archontum hujus Olympiadis, aliorumque circiter viginti, qui in Marmore nominantur, usque ad CVI. Olympiadem. Hujus argumenti vim & consequentiam, nemo (ut arbitror) non videbit. Pergamus ad alia. *Archontibus Athenienſium* non incongruè subjicientur *Menses Attici.*

IV. Menses Attici.

Constat inter eruditos, non tantùm Sæculo XIII. de quo agitur, sed etiam Sæculo XIV. imò XV. jam provecto, ignotum fuisse, Occidentalibus no-

nostris, ordinem Mensium, quo olim usi sunt Athenienses. (a) Georgius Gemistus Pletho, Philosophus Platonicus, qui Anno 1438. in Concilio Florentino, Græcorum causam, contra Latinos, eleganter & acutè propugnavit, (b) *operosum reputans invenire qua ratione* Menses Attici Latinis *responderent, inquirere destitit : in Commentariisque de Legum institutione, quùm de diebus, mensibus, & anno præcipiat; qua tamen ratione Athenienses menses suos agerent, ne verbum quidem facit . . . . . sed quod faciat quivis è vulgo, simpliciter hîc ex accidente nominat, primum hunc, illum secundum, pariterque alios, ut cujusque ad primum ordo sese habet . . . . . (c) deque Græcorum mensium ordine dubitabundus, & laboris investigandi fugitans, ad numeri facilitatem divertitur.*

(a) *Guil. Cave, Hist. litt. ed. Genev. 1693. T. 1. Append. pag. 78.*

(b) *Gaza de Mensib. cap. 1.*

(c) *Cap. 19. f.*

Theodorus Gaza, Anno 1470. primus rem tentavit, quamvis non per omnia feliciter. Gravissimè enim lapsus est, quando Mensem *Anthesterionem*, sexto loco posuit, hoc est, ante *Posideonem*; cùm octavum deberet occupare locum, scilicet post *Gamelio-*

nem, ut pluribus demonstravit Vir summus (a) Josephus Scaliger. Sed vix culpandus videtur, quando *Pyanepsionem* & *Mamacterionem* transposuit. (b) Pene enim *persuasit* Scaligero, *Mamacterionem post Boëdromionem locandum esse*, sive ante *Pyanepsionem*. Præterea Dionysius Petavius, cùm in (c) Epiphanianis, tùm in (d) Libris de Doctrinâ temporum, & in (e) Auctario, contendit ordinem illorum duorum Mensium, rectè à Theodoro Gaza fuisse assignatum; argumentis, in speciem, ità probabilibus, ut (f) Wilhelmum Langium, alioſque, in suam traxerit sententiam. Iis tamen, unico excepto, paucis post annis respondit, (g) *egregium Musarum severiorum ornamentum*, (h) Samuel Petitus, civis meus: nec arduum esset, probationi, quam intactam reliquit Petitus, respondere, nisi hodie certum esset, Menses Atticos, cum Scaligero, hoc modo esse ordinandos.

(a) *Scal. Emend. temp. lib.* I. p. 29. & *seqq.*

(b) *Pag.* 31.

(c) *Petav. ad Epiph. hær.* 51. *edit. Colon.* 1682. *pag.* 135. & *seqq.*

(d) *De Doctr. Temp. lib.* I. *cap.* 10.

(e) *Auctar. lib.* VI. *cap.* I. & *seqq.*

(f) *Lang. de annis Christi, lib.* I. *cap.* 12. *p.* 162.

(g) *Seld. de succes. ad bon. defunct. Prol. edit. Francof.* 1673. *pag.* 5.

(h) *Petit. Eclog. Chron. lib.* IV. *cap.* I.

Ex-

Ex Gaza.	*Ex Scaligero.*		*Ex Petavio.*
	1. Hecatombæon.		
	2. Metagitnion.	*Æſt.*	
	3. Boëdromion.		
Mæmacterion.	4. Pyanepſion.		Mæmacterion.
Pyanepſion.	5. Mæmacterion.	*Aut.*	Pyanepſion.
Antheſterion.	6. Poſideon.		
Poſideon.	7. Gamelion.		
Gamelion.	8. Antheſterion.	*Hiem.*	
	9. Elaphebolion.		
	10. Munychion.		
	11. Thargelion.	*Vern.*	
	12. Scirophorion.		

(*a*) *Atticorum Menſium ſeriem eodem ordine exhibuerunt pridem H. Stephanus, in Appendice Theſauri* (Græci, col. 225.) *ex veteri Lexico*; (in quo tamen *Boëdromion* eſt omiſſus poſt *Metagitnionem*) *& J. Seldenus in Apparatu ad Epochas Marmoreas*, (edit. Oxon. 1676. pag. 238.) *ex MS. ad calcem Almageſti Ptolemæi. Neque de ea amplius ambigendum.* Maximè poſt editas Inſcriptiones duas marmoreas, ſententiæ Scaligeri ad amuſſim conſonas, quas exhibent tùm Jacobus Sponius Gallus, tùm Georgius Wheler Anglus, in *Græcia Itinerariis.* Brevior Inſcriptio Menſes quatuor hoc ordine

(a) *Marsh. Chron. Can. edit. Lond.* 1672. *pag.* 610.

describit, (*a*) BOEDROMION, PYANEPSION, MÆMACTERION, POSIDEON. In prolixiore alia, quæ in Angliam translata est, omnes Menses, (excepto *Elaphebolione*, qui prætermissus est in Marmore) hoc modo dispositi comparent: (*b*) BOEDROMION, PYANEPSION, MÆMACTERION, POSIDEON I. POSIDEON II. GAMELION, ANTHESTERION, MUNYCHION, THARGELION, SCIROPHORION, HECATOMBÆON, METAGITNION: Eodem prorsus modo, ac Scaliger, sine his adjumentis, eos olim disposuerat.

(a) *Spon, Voyage de Grece; Peuples de l'Attique, n.* 104. *& Wheler, Voyage, trad. Franc. ed. Amst.* 1689. *Tom. II. pag.* 483.

(b) *Spon, ibid. n.* 4. *& Wheler, ibid.*

Quæro jam ab Harduino, quâ ratione fieri potuit, ut sæculo XIII. quo hæc prorsus ignorabantur, Falsarii illi, quorum *Severus Archontius* princeps supponitur, tot & tàm varia, scriptis Antiquorum, quos ità vocamus, inseruerint, Marmoribus, aliisque genuinis Græcæ Historiæ monumentis adeò consentanea? Ex multis pauca seligam.

1. Thucydides, (*c*) *qui quidem circumfertur*, refert, (*d*) *Hieme transactâ, quâ desiit annus octavus Belli Peloponnesiaci, ineunte Vere sequentis Æstatis* (Gallis, *Campagne*,) *Inducias annuas factas esse*

(c) *Chron. V. T. pag.* 152.

(d) *Thucyd. lib.* IV. *pag.* 158. 159.

esse die 14. ELAPHEBOLIONIS *Mensis*, quem ultimum fuisse Veris, omnes hodiè sciunt, nemo verò sæculo XIII. Non solùm Laurentius Vallæ, qui ante Gazam fato functus est, hoc ignoravit, dùm in Versione suâ, addidit, *id est*, *Decembris*; sed Henricus Stephanus ipse, non nisi dubitanter loquutus est, dùm margini hæc adscripsit, *sunt qui Februarium esse putent.* Sanè, Jacobus Dalechampius, per *Februarium Mensem*, interpretatus est quod Athenæus de iisdem (a) *Induciis annuis*, dixerat, eas *pactas Mense* ELAPHEBOLIONE, *Isarcho Archonte*, hoc est, Olympiadis LXXXIX. anno 1. Ubi observandum, cum nostro Thucydide apprimè consentire Athenæum, quem nescio an inter suppositititios reponat Harduïnus, nisi illum (b) *Scriptoribus fabulosis*, quos suppressis nominibus designat, involvere voluerit. Ait enim Athenæus, (c) *Reges Persarum hiemasse Susis, Æstatem verò transegisse Ecbatanis*; quod Harduïnus *fabulosum* putat.

(a) *Athen. lib.* V. *sub fin.*

(b) *Chron. V. T. pag.* 118.

(c) *Athen. lib.* XII. *init.*

Idem Thucydides narrat, (d) *annis decem completis ab initio Belli Peloponnesiaci, Fœdas ad quinquaginta annos factum esse, Archonte Athenis Alcæo*, (hoc est,

(d) *Thucyd. lib.* V. *pag.* 171. 172.

est, Olympiadis LXXXIX. anno 3.) *die* 25. ELAPHEBOLIONIS, *desinente Hieme, & Vere ineunte, statim post Dionysia in Urbe*; quæ ante diem 18. *Elaphebolionis* celebrata fuisse, discimus ex Orationibus Æschinis, (*a*) *De falsâ Legatione*, & (*b*) *contra Ctesiphontem.*

(a) *Æschin. edit. Basil. 1572. pag. 254. f.*

(b) *Pag. 284.*

2. Diodorus Siculus, ex Agatharcide Cnidio, quem vidit etiam Photius, refert, (*c*) *Navigantibus* in Mari Arabico, (*d*) *nullam stellam ex Septentrionibus cerni posse ante primam vigiliam, Mense Athenienſium* MÆMACTERIONE, POSIDEONE *verò, non ante secundam: insequentibus autem parùm conspici.* Novi Dionysium Petavium (*e*) contendere contrarium fieri: hoc est, *secundam vigiliam* debere referri ad *Mamacterionem* Mensem, *primam* verò ad *Posideonem*; quod ego etiam credo. Hinc tamen patet, Diodorum hoc voluisse, *navigantibus* in illo Mari, Septentriones nihil prodesse, quippe qui cerni possint tantùm circà Brumam, non autem Vere aut Æstate. Hæccine autem dixisset Diodorus, quisquis ille fuerit, nisi compertum habuisset, *Mamacterionem* & *Posideonem*, menses fuisse navigationi parum

(c) *Diod. lib. III. cap. 48. pag. 127.*

(d) *Phot. Cod. CCL. cap. 51. pag. 1375. 1376.*

(e) *Petav. Doct. Temp. Auctar. lib. VI. cap 6.*

parum aptos, ad Hiemem scilicet vergentes?

Quid? num (a) *fabularum narratorem* redolet, quod apud eundem Diodorum legimus, (b) Olympiadis LXXXVI. anno 4. *Metonem Astronomum, Enneadecaëteridem promulgasse, ineuntem à die* 13. *Mensis Athenienſium* SCIROPHORIONIS? Scilicet, *Archontianis* sæculi XIII. non tantùm sedes Mensium Atticorum certissimè cognitæ erant, quamvis illi sæculo incognitæ; sed etiam Epochæ & Cycli antiquorum Astronomici, quorum memoria tunc erat penè obliterata.

(a) *Chron. V. T. pag.* 2.

(b) *Diod. lib.* XII. *cap.* 36. *pag.* 305.

3. Non multùm absimile est, quod legitur apud Dionysium Halicarnassæum. Ait ille, (c) *Captum fuisse Ilium*, τελευτῶντος ἤδη τοῦ θέρους, vel potiùs, τοῦ ἔαρος (ut legit (d) Scaliger, & sequentia demonstrant) hoc est, *desinente Vere, diebus* 17. *ante Solstitium Æstivum, die* 23. THARGELIONIS, *ut Athenienses computant; cùm supereſſent huic anno complendo,* 20. *dies post Solstitium.* De hoc Mense, Auctor Etymologici Magni; (e) THARGELION, inquit, *undecimus Mensis, ità nominatus, quia tunc Sol fervidus est, &*

(c) *Dion. Hal. lib.* I. *pag.* 51.

(d) *Scal. de Emend. Temp. lib.* I. *pag.* 42.

(e) *Etymol. Magn. edit. Ald.* 1549. *hoc fol.* 95. *b.*

hoc Mense florida terra arescunt. Plutarchus etiam (a) mox laudandus, THARGELIONIS *finem* confert in *initium Æstatis*, & paulò *ante Solstitium*. Unde mirari subit, celeberrimum Virum Andream Dacerium, olim mihi familiarem, imò in Græcis Magistrum, hunc Mensem pro *Februario* accepisse. Narrat enim, (b) *Platonem natum eâdem die quâ Delii affirmant Apollinem esse natum*; hoc est, *die 7. Februarii*, ut in margine annotavit. Ipsissima sunt verba Diogenis Laërtii. Sed pro *Februario*, (c) *Thargelionem* habet. Apuleius autem ait, (d) Platonem *Mense qui apud Atticos* THARGILION *dicitur, natum esse, die quâ apud Delon Latona fertur Apollinem Dianamque peperisse.* Plutarchus verò, (e) Natale Apollinis & Platonis, in Festum *Thargelia* dictum, & *diem 7. Thargelionis* confert. Quid autem *Thargelioni* cum *Februario?*

(a) *Infrà*, §. 4.

(b) *Dacier, Vie de Platon, ed. Paris.* 1699. *pag. 7.*

(c) *Diog. Laërt. lib.* III. *in Platone.*

(d) *Apul. Plat. init.*

(e) *Plut. Symp. Quæst. lib.* VIII. *q.* 1.

4. Hujusmodi plura cumulare possem ex eodem Plutarcho, quem (f) *Scriptoribus fabulosis*, ni fallor, annumeravit Harduinus, loco suprà (g) indicato. Plutarchus enim ait, (h) *Persarum Reges Babylone Brumam, Æstatem in Media, Susis latissimam Veris partem*

(f) *Chronol. Vet. Test. p.* 116. *cor.*

(g) *Suprà*, §. 1.

(h) *Plutar. de Exilio.*

tran-

transegisse. Apud ipsum, plerique Menses Athenienſium nominantur, cum certis tempestatum aut ordinis characteribus. In Timoleonte, (*a*) Mensis THARGELIONIS *finem*, confert in *initium Æstatis, vergente tempore ad Solstitium*; ut statim (*b*) notabam. In Agesilao autem, (*c*) SCIROPHORION, ultimus Anni Mensis, præmittitur HECATOMBÆONI primo: & ab illius *die decimaquarta*, quâ Fœdus inter Græcas urbes pactum est, ad istius *diem quintam*, quâ Pugna Leuctria commissa, *dies viginti* numerantur. In Demosthene, (*d*) METAGITNION, BOËDROMION, & PYANEPSION, hoc ordine recensentur. In Cæsare verò, (*e*) POSIDEONEM collocat *circà Brumam*, & *Januarii* Romani *initium*. Tandem, in Sylla (*f*) Mensem ANTHESTERIONEM cum *Martio* conjungit, eundemque, in Quæstionibus Sympoſiacis, (*g*) *post Hiemem* statuit.

(a) *Timoleont. pag.* 249.

(b) *Suprà*, §. 3.

(c) *Ageſil. pag.* 611. 612.

(d) *Demoſth. pag.* 859.

(e) *Cæſare, pag.* 725.

(f) *Sylla, pag.* 461.

(g) *Quæſt. Symp. lib.* VIII. *q.* 10.

5. Ne hîc diutiùs hæream, Suidas, quem (*h*) *fabulari* ait Harduinus, & (*i*) *falsum testem* appellat, clarius adhuc ordinem aliquot Mensium declaravit. Ipsi enim, (*k*) METAGITNION, est

(h) *Chron. V. T. pag.* 232.

(i) *Proluſ. pag.* 31.

(k) *Suidas in his verbis.*

est *secundus Mensis Athenienſium*; MAEMACTERION, *quintus, ineunte Hieme*; ANTHESTERION, *octavus*; MUNYCHION, *decimus* (nam pro δεύτερος, legendum esse δέκατος, patet, cùm ex Harpocratione, quem exscribit; tùm quia *secundum* locum *Metagitnioni* assignavit). & SCIROPHORION, *duodecimus.*

Quid ad hæc regerere possit eruditio Harduïni, nondum percipio. Num Prophetam dicemus *Severum Archontium*, qui hæc omnia, tunc temporis abscondita, & post bina aut trina sæcula retegenda, afflatu quodammodo divino prævideriť? An ipsum, lyncæis oculis, confusa & sepulta Atticæ rudera, é mediâ Galliâ perlustrasse?

V. OLYMPIADES.

IN antedictis, dùm de Eclipsibus, & Archontibus Athenienſium agerem, sæpiùs accidit mihi ut Olympiadum meminerim, quemadmodum vulgò computari solent; non ignarus, nec dissimulans, Harduïnum aliam à vulgari fovere sententiam. Epocham enim Olympiadum, annis solidis duodecim, altiùs repetit; unde fit ut singulæ Olympiades,

; Olympiades, apud ipſum, tribus ſuperent
nti vulgares. Si prochroniſmum iſtum pro-
ſtum baverit Harduïnus, ſuſque deque ruit
m pi priſcorum Græcorum Hiſtoria, quæ,
ute, ductu hujus Characteris Chronologici,
ſcri- ubivis digeſta reperitur. Quamvis au-
gu- tem hoc propriè non ſpectet Argumen-
10- tum meum, adverſus Syſtema generale
Harduïni, qui (a) *priſcos Scriptores re-*
tio *rum Græcarum vel Romanarum, in ſuſpi-*
um *cionem* vocare conatur; ſed tantùm par-
on- tem ſpecialem Chronologiæ ſuæ: non
ori abs re fuerit hoc etiam attentius penſi-
ſæ tare, tùm ob arctam cum antedictis
od connexionem, tùm quia inter Chara-
:x cteres Chronologicos, non ultimum
de locum hucuſque tenuerunt Olympia-
des.

(a) *Chron. V. T. pag.* 228.

Profitetur Harduïnus ſe, hac in re, (b) *Pag.* Plinium ſequi. (b) *Ex Plinio*, inquit, 71.
n *auctore ſane græci diſcimus, Olympiadum*
, *initium ante annos duodecim ſtatuendum*
- *eſſe, quam ceteri omnes Scriptores defi-*
- *niunt.* Quamvis certiſſimè conſtaret
. hanc fuiſſe Plinii ſententiam; num uni
i Plinio, Scriptori Romano, quamquàm
1 diligentiſſimo, ſed ſententiam ſuam ne-
que probanti, neque ex profeſſo tra-
ctanti, magis credendum, quàm aliis

pluri-

plurimis Scriptoribus, iisque Græcis, & Annos Olympiadum passim adhibentibus?

Paulisper tamen seponamus Græcorum *Scriptorum segetem* Harduïno *suspectam*; æquumne est à vulgari sententiâ discedere, ut Plinium unicum sequamur, nisi saltem demonstraverit Harduïnus, talem revera fuisse Plinii sententiam, qualem ipsi Harduïnus fidenter affingit? Videamus ergo quid præstiterit; sed missis iis, quæ huic Quæstioni dirimendæ nulli usui esse possunt; illas tantùm Olympiades, à Plinio memoratas, mihi perpendendas sumo, quæ vel pro se facere credidit Harduïnus, aut contra ipsum pugnare mihi videntur.

Ut autem infrà dicenda faciliùs intelligantur, exhibeo singulas illas Olympiades, cùm juxtà sententiam vulgarem, tùm juxtà sententiam Harduïni, alligatas annis Urbis Conditæ Varronianis, quorum Epocham Plinius & Harduïnus sequi solent. Nulla enim de illâ extat controversia, sed de connexione Olympiadum ad illam Epocham.

Anni

	Anni U. C. ex Hard.	Olympiades Pliniane.	Anni U. C. vulg.
1.	93.	XXXII.	105.
	130.	XLII.	142.
2.	157.	XLVIII.	169.
3.	275.	LXXVIII.	287.
* 4.	294.	LXXXIII.	306.
	298.	LXXXIV.	310.
* 5.	386.	CVI.	398.
	398.	CIX.	410.
6.	387.	CVI.	399.
			402.
	404.	CX.	416.
7.	467.	CXXVI.	479.
8.	596.	CLVIII.	608.
	608.	CLXI.	620.

1. Primus locus notatu dignus, extat in Chronologiâ Harduïni, (a) ad *Annum U. C.* 93. *Olympiadis* XXXII. *annum* 4. ubi hæc lego:

(a) *Chron. V. T. pag.* 90.

„ Plinius, libro 2. pag. 250. (*lege* „ 150.) *Veneris stellæ naturam Py-* „ *thagoras Samius primus deprehen-* „ *dit, Olympiade circiter* XXXII. „ *qui fuit Urbis Romæ annus* CXIII. „ Ita MSS. Reg. sex, cum Va-

„ ticano

„ticano uno, & Colbertino.
„Lege permutatis litteris, annus
„XCIII.„

Si *ex ungue leonem* liceat æstimare, quid hinc judicabimus? Demonstrandum erat Harduïno, cum *Olympiadis* XXXII. *anno* 4. concurrere *Annum U. C.* 93. Plinius autem, quem laudat, habet *Annum* CXIII. Ideòque ait Harduïnus, *Lege permutatis litteris, annus* XCIII. Siccine, pro argumentis, emendationes ex merâ conjecturâ? Esto tamen: sed (a) *hanc veniam petimusque damusque vicissim.* Quidni igitur, exili admodum mutatione, pro CXIII. liceat CXLII. restituere?

(a) *Horat. de Art. Poët.*

Deinde, in Chronologiâ Harduïni, *annus* ille XCIII. connectitur cum *anno quarto* Olympiadis XXXII. non cum *anno primo* ejusdem Olympiadis, ut fieri debebat, juxtà methodum Plinii. Quotiescunque enim simpliciter Olympiades nominat, illarum annum primum semper intelligit. Hoc sensit Harduïnus, ideòque addidit; *in altero Colbertino legitur*, Olympiade circiter XXXIII. *fortassis rectius: quoniam Olympias* XXXIII. *proxime appetit.* Si ergo, fide illius Codicis, *litteram* unam

licet

liceat postponere numero Pliniano suprà laudato; quidni, loco illius, licebit nobis aliam *litteram* præponere, & pro XXXII. legere XXXXII. cum aliis Codicibus?

Quid moror in re planâ? Editiones omnes Plinianæ, ne Harduïni quidem exceptâ, ità legunt: (*a*) *Pythagoras Samius, primus deprehendit, Olympiade circiter XLII. qui fuit Urbis Romæ annus CXLII.* quæ perfectissimè cum Epochâ Olympiadum vulgari conveniunt.

(a) *Plin. lib. 11. cap. 8. sect. 6.*

Aliud hîc observandum habeo. In suâ Plinii Editione, displicebat Harduïno, quòd Plinius Pythagoram *decem Olympiadibus* circiter antiquiorem faceret, quàm alii Scriptores. Ita enim annotabat: (*b*) *Aut numeros necesse est esse corruptos*, (hoc prorsus nego) *aut Plinium graviter hallucinatum fuisse.* (In numeris simul alligandis, iterùm nego: sed in ætate Pythagoræ assignandâ, concedo.) *Laërtius enim Pythagoram refert, ad LX. Olympiadem, lemens Alexandrinus ad LXII. Tatianus item. Olympiade LXX. decessisse scribit Eusebius. Et crassius sane ac πλατυτέρως locutus videtur Dionysius Halic.*

(b) *Hard. ad Plin. Tom. I. pag. 266. Not. x1.*

qui post L. floruisse ait. Quamobrem, pergebat, *proclivi admodum errore, scriptum fuisse suspicor à librariis, Olymp. XLII. pro LXXII.* (*lege* LXII.) Non omninò malè, si Codices quidam adstipularentur, aut si numerus Olympiadicus, cum alio Urbis Conditæ consistere posset. Sed idem Harduïnus, cui olim displicebat Plinium *graviter hallucinatum fuisse*, quia ætatem Pythagoræ *decem Olympiadibus* in anteriora promovebat; idem jam aliis decem Olympiadibus adhuc antiquiorem facit. Longè alia fuit mens doctorum Anglorum, qui, ante aliquot annos, hanc rem tractârunt, Gulielmi Lloyd tunc Episcopi Asaphensis, nunc Wigornienſis, Richardi Bentleii, & Henrici Dodwelli, quorum hic (a) probare contendit, Pythagoram natum sub finem Olympiadis LII. illi Olympiade XLIII. desinente. Stet, si placet, hæc posterior sententia: sic juxtà Harduïni Chronologiam, Pythagoras Sidus Veneris observaverit, 44. annis antequam natus fuerit. Egregiam *Chronologiæ restitutionem!*

(a) *Dodwel. Exerc. de æt. Pyth. Edit. Lond. 1704. in* 8.

2. Insignis, & sæpè jactatus est alter Plinii locus, quem Harduïnus affert

fert (a) ad *Annum U. C.* 157. *Olympiadis XLVIII. annum* 4.

(a) *Chron. V. T. pag.* 108. *correct.*

„ Plinius libro 2. sect. IX. *Apud Græ-*
„ *cos autem investigavit primus om-*
„ *nium Thales Milesius, Olympiadis*
„ *CXLVIII. anno IV. prædicto Solis*
„ *defectu, qui Alyatte rege factus*
„ *est, Urbis conditæ anno CLX.* Ita
„ MS. Reg. 4972. quinque alii
„ *LXX.* hoc est, *septuagesimo:*
„ pro *septimo & quinquagesimo:*
„ atque istum ferè numerum
„ CLXX.) libri editi repræsen-
„ tant. Lege, *anno CLVII.*

Omnium Editionum, omniumque MSS. unico excepto, lectionem si sequamur, nulla subest difficultas: quippe *Olympiadis XLVIII. annus* 4. æqualiter respondet *Annis Urbis Conditæ CLXIX.* & *CLXX.* à Julio scilicet Anni CLXIX. ad Julium Anni CLXX. Harduïnus autem, ut sententiæ suæ hunc locum accommodet, libris omnibus editis, & plerisque MSS. unicum Codicem præfert, in quo legit *annum* CLX. Neque hoc contentus, pro *anno CLX*, legi vult, *annum CLVII*; & vulgatæ lectioni, *septuagesimo*, hanc, sive interpretationem, sive emendatio-

nem ſubſtituit, *ſeptimo & quinquageſimo.* Papæ! quid non liceat, ſi hoc licebit?

(a) *Ibid.* Argumentatur quidem ex (*a*) *Solis defectu*, quem, poſt Petavium, aſſerit *contigiſſe* Anno U. C. CLVII. *die* IX. *Julii, feria tertia, hora* 6. *matutina: clara nempe in luce, qua ſolent prælia conſeri.* Sed hanc objectionem jam pridem occupavit Joan. Bapt. Ricciolus ipſe Jeſuita. Hæc Eclipſis, inquit, (*b*) *nec tempori longioris prælii, neque quantitati Eclipſis in Ponto & Aſia minore viſæ congruit; quod etiam contra Petavium obſervavit D. Jo. Antonius Rocca in Mathematicis alti vir judicii, in litteris ad me datis.* Equidem, Herodotus à Ricciolo (*c*) laudatus, plus obeſſe Harduïno videtur, quàm prodeſſe. (*d*) *Cùm,* inquit, *ſignis collatis æquo marte certarent, ſtante pugnâ, contigit ut repentè dies nox efficeretur: quam immutationem hujus diei futuram Thales Mileſius Jonibus prædixerat.... Lydi autem ac Medi, ubi diem noctеſcere viderunt, à pugnando deſtiterunt.* Quæ verba horis pomeridianis multò meliùs conveniunt, quàm horæ quintæ aut ſextæ matutinæ: (*e*) incepit enim Eclipſis ante horam quintam.

(b) *Ricciol. Almag. lib.* V. *cap.* 19. *pag.* 363. *a.*

(c) *Cap.* 2. §. 8.

(d) *Herod lib.* 1. *cap.* 74. *pag.* 30.

(e) *Petav. Doctr. Temp. lib.* VIII. *cap.* 13. *pag.* 781. *in.*

Obſervant autem Aſtronomi (*f*) Buntingus,

(f) *Bunt. fol.* 82. *b.*

tingus, (*a*) Lansbergius, (*b*) Petavius, (*c*) Ricciolus, Anno U. C. 169. Maii 28, ab horâ circiter quintâ vespertinâ, ad occasum Solis, factam fuisse Solis Eclipsim, quæ Totalis fuit circà horam sextam, *atque adeo in ipso ardore prælii quod diremit hæc Eclipsis*, ut loquitur Ricciolus. Frustrà igitur affirmat Harduïnus, (*d*) *circum hæc tempora nullum occurrere Solis defectum, præter illum* Anni U. C. 157. *qui cum Herodotæa narratione congruat.*

(a) *Lansb. Uran. pag.* 34. *& Thes. Observ. pag.* 93.

(b) *Petav. ibid. pag.* 782.

(c) *Ricciol. cap.* 19. *pag.* 363.

(d) *Chron. V. T. pag.* 109. *corr.*

Nec majoris est momenti quod subjicit, Eclipsim Anni 169. non factam esse *sub Cyaxare, ut refert Herodotus, sed sub Astyage Cyaxaris F.* Incertum enim est, quod Herodoto tàm fidenter tribuit. En ejus verba: (*e*) *Cyaxare reposcente Scythas profugos, bellum inter Lydos Medosque quinquennale conflatum est. .... Sexto autem anno ... ad pacem inter se constituendam .... Alyattis filiam Arienam Astyagi Cyaxaris filio nuptui dederunt.* Quis autem eorum, illo *anno sexto* belli regnaret, Cyaxares an Astyages, disertè non docet Herodotus. Quid enim, nonne potuit Astyages bellum à patre Cyaxare inchoatum continuare adversus Alyattem; quemad-

(e) *Herod. lib.* 1. *cap.* 74. *pag.* 30.

modum Alyattes (a) *bellum cum Milesiis à patre traditum*, continuavit *ad undecimum annum, ex quibus sex regnavit Sadyattes, quinque reliquos Alyattes ejus filius?* Præterea, non desunt Scriptores, qui hæc ad tempora Alyattis referant. Juxtà Eusebium, Olympiade XLVIII. (b) *Solis facta defectio quum futuram eam Thales prædixisset .... Alyattes & Astyages dimicaverunt.* Solinus Plinii simia, dicit; (c) *Haustu mutui sanguinis ..... bello quod gestum est Olympiade XLIX ... inter Aduatem* (lege, *Alyattem*, cum Salmasio) *Lydum, & Astyagem Mediæ Regem, firmata fuisse jura pacis*: quemadmodum Herodotus dixit, (d) *inter Lydos Medosque ... pacem constitutam .... mutuum sanguinem delingendo.* Cicero denique, Harduïno minimè suspectus, hæc habet: (e) *Thales Milesius primus defectionem Solis, quæ Astyage regnante facta est, ... prædixisse fertur.*

(a) *Cap. 17. & 18. pag. 7.*

(b) *Euseb. Chron. Edit. Scaliger.*

(c) *Solin. cap. 15. Edit. Salm. Paris. 1629.*

(d) *Herod. ubi suprà.*

(e) *Cicero, de Divin. lib. 1. cap. 112.*

Probabiliùs objecit Harduïnus, Eclipsim Anni 169. Maii 28. factam esse, *non Olympiadis anno quarto, sed uno amplius mense ante quartum.* Verùm, vulgatissimum est Plinio & aliis Scriptoribus, Annos Olympiadicos integros conferre cum Annis Julianis, à quorum me-

medio inchoabantur. Idem fecerunt Scriptores Græci ; vixque dubito quin Harduïnus centies illud obſervaverit : quod, ſi tanti eſſet, facillimè probare poſſem ex variis locis Diodori, Dionyſii, Xenophontis, Arriani, Laërtii, Plinii ipſius, & quorum non ? Ideòque tempus Eclipſeôs ſupradictæ, ex uſu communi debuit referri ad *annum quartum* Olympiadis XLVIII. quamvis accuratè loquendo contigerit *anno* 3. *deſinente*. Nihilominus, non difficulter concederem, in Annis U. C. aſſignandis, Plinium anno uno hîc erraſſe, niſi Codicum variæ lectiones eò me ducerent ut conjiciam Plinium primitùs ſcripſiſſe, *Urbis Conditæ Anno* CLXIX ; pro quo Codex Regius, quem Harduïnus ſequitur, ſcripſit, *Urbis Conditæ Anno* CLX, duabus ultimis litteris IX, omiſſis ex oſcitantiâ ; Codices duo Dalechampii, *Urbis Conditæ Anno* CLXXX, nempe I intermedio in X mutato ; Editiones autem, & plerique MSS. Codices, eâdem litterâ I omiſſâ, *Urbis Conditæ Anno* CLXX. Quicquid ſit, locus hic Plinii, ut & præcedens, ſententiam vulgarem de Olympiadibus planè confirmat, & Harduïnum refellit.

3. Ordine temporum ità exigente, tertium adducam Plinii locum, ab Harduïno prætermissum in suâ Chronologiâ.

„ Plinius lib. 11. cap. 58. sect. 59. „ *Celebrant Græci Anaxagoram Cla-* „ *zomenium, Olympiadis LXXVIII.* „ *2. anno, prædixisse cœlestium lit-* „ *terarum scientiâ, quibus diebus* „ *saxum casurum esset è Sole. Idque* „ *factum interdiu in Thraciæ parte* „ *ad Ægos flumen.* „

Ad illa Plinii verba, Harduïnus in Editione suâ, hæc annotavit: (a) *Discrepat à Plinio anno uno auctor Chronici marmorei, quod in Marm. Oxon. recitatur, pag. 160. Epoch. 58. Rem enim is contigisse ait Archonte Athenis Theagenide. Fuit autem Theagenides Archon, Olymp. LXXVIII. anno primo, qui annus incidit in annum U. C. CCLXXXV. teste Dionys. Halic. lib. 9. p. 611. & Diodoro Siculo lib. XI. p. 49.*

(a) *Hard. ad Plin. T. I. pag. 275. Not. L III.*

Nisi hæ voces Harduïni, *qui annus incidit in annum U. C. CCLXXXV.* parentheſi includantur, temerè Dionysium & Diodorum testes appellavit. Deinde Dionysio & Diodoro addi potest Plutarchus, qui ait, (b) *Socratis*

(b) *Plut. Orat. X. Vit. 2.*

tis diem natalem incidisse in Olympiadem LXXVIII. quo tempore Archon fuit Athenis Theagenides. Præterea, pro, *anno U. C. CCLXXXV.* qui Capitolinus est, scribere debuïsset Harduïnus, *annum U. C. CCLXXXVI.* Varronianum, quemadmodum ubique ferè Plinius computare solet. Denique, quam hîc observat *discrepantiam unius anni*, inter Plinium & Auctorem Chronici Marmorei, ea parvo labore conciliatur ex observatis sub finem Articuli præcedentis. Posito enim quod ceciderit hic Lapis, accuratè loquendo, Anno primo Olympiadis LXXVIII. Vere, *Theagenide* adhuc *Archonte*, ut vult Marmor; Annus ille Julianus, hoc est, Juliano similis, computari solet pro Anno secundo ejusdem Olympiadis, ut facit Plinius.

Hinc igitur evidentissimè demonstratur, Epocham Olympiadum Plinianam, eandem omninò esse cum Epochâ vulgari quam nos sequimur. Hinc etiam iterùm confirmantur quæ suprà à nobis dicta sunt, de Archontibus Athenienſium, eorumque serie.

4. Devenimus jam ad Harduïni argumenta, quorum primum mutuatus

(a) *Chron. V. T. pag.* 154. eſt ex loco Plinii quem profert ad (*a*) *Annum U. C.* 298. *Olympiadis* LXXXIV *annum* I.

„ Plinius lib. XXXIV. ſect. XIX
„ *Ante omnes nobilitatus Phidia*
„ *Athenienſis, Jove Olympiæ fa*
„ *cto . . . . Floruit autem Olym*
„ *piade* LXXXIV. *circiter trecen*
„ *teſimo Urbis noſtræ anno.* Nihi
„ ſcribi poteſt accuratius. Eſt enim
„ hic annus Olympiadis octoge
„ ſimæ quartæ primus, Urbis Ro
„ mæ CCXCVIII.„

(b) *Paſſerat. in Nihilo.* (*b*) *Huc animum, huc igitur vultus ad verte benignos,* ſi à Plinio NIHIL *ſcribi potuit accuratius.* Crederem ego, ipſe Computiſtarum pueros accuratiùs poſſe ſcribere, *Olympiadis* LXXXIV. *anno tertio*, CCC. *Urbis noſtræ anno*, vel *Olympiade* LXXXIV. *Urbis noſtræ anno* CCXCVIII. Quidni ipſe Plinius hoc ultimo modo ſcripſiſſet, quemadmodum alibi ſcripſit teſte Harduïno, *Olympiade* CIX. *Urbis Conditæ* CCCXCVII. ut Articulo ſequenti videbimus? Si enim nullus diſcreparet ab Harduïno qui ſaltem primo modo argumentum ſuum dirigere poterat, hoc eſt, locum Plinii referendo ad *Annum Urbis Conditæ*

ditæ CCC. *Olympiadis* LXXXIV. *annum* 3. Sed sensit proculdubio Harduïnus, quod suprà monebam, Plinium quotiescunque Olympiades simpliciter nominat, primum cujusque annum, cum aliis Scriptoribus, intelligere. Si autem Annus Urbis Conditæ CCC. respondeat Anno 1. Olympiadis LXXXIV, prochronismus erit *decem annorum* tantùm, non *duodecim*, quod Harduïno demonstrandum erat.

Verùm, aliud habeo quod Harduïno regeram. Quæro igitur ab eo, undenam habuerit hæc verba Pliniana, *Olympiade LXXXIV?* Harduïni fidem hîc bis terve appellabo. Ità edidit quidem, unico fretus MS; sed invitis omnibus aliis Codicibus, omnibusque Editionibus. Hoc docet ipse Harduïnus in Editione suâ Plinianâ. (*a*) *Ita*, inquit, *Reg.* 2. *non ut editi*, *LXXXIII*: Ergo editi habebant *LXXXIII*. de quo tamen, hoc loco suæ Chronologiæ, ne γεὺ quidem Harduïnus, qui (*b*) anteà MSS. Codices diligentissimè enumerabat. Constat autem vulgatam lectionem Pliniani loci quem versamus, sententiam Harduïni nullo modo firmare, vulgatæ minimùm adversari. Ait Plinius,

(a) *Harl. ad Plin. T. V. pag.* 163. *Not.* v 1.

(b) *Chron. Vet. Test. p.* 90. & 108. *correct.*

nius, *Olympiadem* LXXXIII. reſpondere *Anno* CIRCITER CCC. *Urbis*; numero uſus rotundo, quia accuratè loquendo fuit Annus CCCVI. *Quare cautè Plinius* CIRCITER *dixit*, ut verbis utar Harduïni Editoris.

(a) *Pag.* 154. Huic Plinii loco, Harduïnus (*a*) alium ſubjunxit, qui nihil ferè ad rem noſtram.

„ Libro XXXVI. pag. 272. *Pictu-*
„ *ra & ſtatuaria cum Phidia cœpit*
„ *LXXXIV. Olympiade, poſt an-*
„ *nos ſcilicet* CCCXXXII. ab ini
„ tio nempe Olympiadum, to
„ enim annos efficiunt Olympia
„ des LXXXIV. „

Metuo ne ultimus iſte numerus, ei roneè, & contra mentem Harduïni ſcriptus ſit à Librario. (*b*) *Et ſai Olympiades octoginta tres completæ* (nc octoginta quatuor) *annos plane totide efficiunt, hoc eſt* CCCXXXII. ut accuratè dicebat Harduïnus, in Notis ſu ad hunc Plinii locum. Sed quorſum quæſo, tùm in Editione Plinianâ, tù in ſuâ Chronologiâ, Harduïnus ſcripſi *LXXXIV. Olympiade?* In nullis MS ſe ità legiſſe teſtatur: reclamant omn priores Editiones, decem ſaltem qu mi

(b) *Ad Plin. T. V. pag. 272. a.*

mihi contigit videre, in quibus omnibus lego, *LXXXIII. Olympiade.* An caſu, an de induſtriâ aliter ediderit Harduïnus, aliorum eſto judicium; quamquam meum vix cohibeo, quando (*a*) in fine ſequentis paginæ, tertium Plinii locum, hoc modo, laudatum video.

(a) *Chron. Vet. Teſt. pag. 155. f.*

Olympiade XCIII. Pantænus pictor, Phidiæ frater. Plin. lib. XXXV. ſect. XXXIV.

Editio enim Harduïni hîc habet, *Olympiade LXXXIII.* cum aliis Editionibus, ſine ullâ varietate lectionis, quam ſaltem Harduïnus annotaverit. Vix igitur crediderim, Harduïnum, qui in Plinio edendo diligentiſſimum ſe præbuit, ex merâ incuriâ, numerum Olympiadicum LXXXIII. toties immutaſſe, bis in Editione, ter in Chronologiâ. Ut ità credam, faciunt Harduïni verba, ad locum Plinii mox ſubjiciendum. (b) *Sed eſt eorum temporum apud vetuſtos auctores intricatior ratio, quam ut expediri nunc à nobis aut poſſit, aut vero debeat.* Unde non temerè conjicere licet, jam tùm Harduïnum ſternere voluiſſe viam, de quâ aliquando peragrandâ cogitabat. Caveant igitur illius lectores, ne (c) *incedant per ignes ſuppoſitos cineri doloſo.*

(b) *Ad Plin. Tom. V. pag. 288. a.*

(c) *Horat. lib. II. Od. I.*

5. Paulò melioris notæ eſt argu
(a) *Chron. Vet. Teſt. pag.* 159. mentum ſecundum Harduïni, ad (a) *An num Urbis Conditæ* 398. *Olympiadem* CIX

„ Plinius libro 2. ſect. XXII. *Olym*
„ *piade CVIII.* (lege CVIIII. u
„ in MS. Colbertino 29.) *Urbi*
„ *Conditæ* CCCXVIII. Ita MSS
„ omnes, Reg. quinque, cum
„ duobus Vaticanis. Editores qui
„ bus latuit Olympiadum initium
„ à Plinio ſolo rectè conſtitui, i
„ reliquis autem Scriptoribus an
„ nis omnino duodecim retarda
„ ri, repoſuerunt, *Urbis Condit.*
„ CCCCVIII.

Hîc tandem, legimus verba Plinii quæ correcta ex MS. perfectiſſimè qua drant Chronologiæ Harduïni. Si enim Cometa, de quo hoc loco loquitu Plinius, viſus eſt *Olympiade* CIX. & anno *Urbis Conditæ* CCCXCVIII. (it ſcribere voluit, non CCCXVIII. profectò Harduïnus hæc duo ſimul re ctè conjunxit.

Sed de illo numero Olympiadico plu rima ſunt obſervanda. 1. In Edition Plinianâ, nullam prorſus, hoc loco variam lectionem annotavit Harduïnus cætera in hiſce non impiger; ediditque

Olym

Olympiade CVIII. quemadmodum aliæ Editiones. 2. Habuit (a) tamen, tunc temporis, Codicem *MS. Colbertinum* 29. quem hîc laudat. 3. Codex ille unicus eſt; quamvis Harduïnus MSS. Codices 19. & plures adhuc Editiones habuerit. 4. Codex ille *Colbertinus num.* 29. *quadringintorum* tantùm annorum eſt, hoc eſt, recentiſſimus illorum omnium, quorum ætatem Harduïnus ſignificavit; ſcilicet *Colbertini primi, annorum amplius quadringentorum*; trium, *quingentorum*; unius, *ſexcentorum*; duorum, *octingentorum.* Unde palam erit apud æquos judices, unicum Plinii locum, lectum ex unico Codice MS. eoque recentiſſimo, nullatenus æquiparari poſſe tribus locis Plinianis priùs allatis, juxtà omnes Editiones, & pleroſque MSS. Codices: maximè quando unicus ille locus contradicit ſententiæ vulgò receptæ, tùm apud priſcos Scriptores, tùm apud recentiores.

(a) *Vid. ad. Plin. Tom. I. fol. b i ij.*

Si conjecturis uti liceret, exemplo Harduïni, crederem Plinium ſcripſiſſe, *Olympiade* CUI. U. C. CCCXCUIII. ſed oſcitantiâ Librariorum, ex ſecundo *U*, numerum *II.* effictum fuiſſe, & additum præcedentibus.

tibus. Unde pro C U I. U. ſcriptum fue
rit C U I I I. *Olympias* autem C U I. & *An*
nus C C C X C U I I I. *Urbis Conditæ*
perfectiſſimè coincidunt ex ſententi
(a) *Plinii lib.* 11. *cum comm. Milichii. Francof. & Lipſ.* 1573. vulgari. Unde Jacobus Milichius (a
numeros CVI. repoſuit in variis ſuis Edi
tionibus. Similes verò lapſus ſæpiù
obſervavit Harduïnus, cujus hæc ſun
verba. (b) *Librariorum incuria ſæpe con*
(b) *Hard. ad Plin. Tom. I. pag.* 267. *Not.* XVI. *tigit, ut in Pliniano contextu notæ nume*
rorum confunderentur. Facit vero in primi
affinitas harum notarum U. & I I. in vete
ribus libris ac nummis, ut invicem, ma
gno Chronologicæ rei periculo permutentur.

6. Minoris momenti eſt locus Pli
nianus qui ſequitur in eâdem pagin
(c) *Chron. Vet. Teſt. pag.* 159. Chronologiæ Harduïni, (c) ad *Annu*
Urbis Conditæ 404. *Olympiadis* C X. *an*
num 3.

„ Plinius, libro x x x v 1. ſect. v 1
„ pag. 287. *Halicarnaſſi Mauſol*
„ *domus Proconneſio marmore exculta*
„ *eſt, lateritiis parietibus. Is obi*
„ *Olympiadis C V I. anno ſecundo*
„ *Urbis Romæ* C C C I I I I. Et pag
„ 280. *Mauſolo Cariæ regulo, qu*
„ *obiit Olympiadis centeſimæ ſextæ*
„ *anno ſecundo.*

Priores Editiones habebant, *Olympia*
di

dis C. *anno* 2. Eodem modo legitur in tribus MSS. teſte Harduïno: ſed in Vaticanis duobus, *Olympiadis* C I I I. *anno* 2. Harduïnus autem edidit, *Olympiadis* C V I. *anno* 2. ex MSS. quatuor Regiis, & (a) Colbertino antiquiſſimo. Rectiſſimè. Sic etiam legitur in Editione Hagenoenſi Anni 1518. cum Caſtigationibus Hermolai Barbari, quam Harduïnus non vidit. Hinc tamen anſam arripuit hæc dicendi. *Apparet hunc locum ab interpolatoribus varie deformatum eſſe; qui Plinianum Olympiadum calculum tentarunt ad vulgarem ſententiam revocare.* Ergo doli mali accuſat interpolatores. Sed (b) *qui dolo dicit factum aliquid, . . . docere dolum admiſſum debet.* Nihil autem hîc video, quod millies, Codices MSS. conferenti, non obſervatum fuerit; nihil præter incuriam Librariorum. Primis litteræ *V I.* exciderunt, dùm pro C V I. ſcripſerunt tantùm C. Secunda verò lectio, orta videtur ex tertia, C I I I. ex C V I. juxtà obſervationem Articuli præcedentis, fine.

(a) *Plin. Tom. V. pag.* 288. *a.*

(b) *Digeſt. lib.* XXII. *tit.* 3. *l.* 18.

Liceat adhuc hîc conjecturis indulgere. Tres ſupradictæ variæ lectiones, ſimul conſiſtere poſſe mihi videntur; ſcilicet, ſi Plinius ſupponatur ità ſcripſiſſe:

pſiſſe: *Halicarnaſſi Mauſoli domus Proconeſio marmore exculta eſt, lateritiis paribus, Olymp adis* C I I I. *anno* 2. *Is regnavit Olympiadis* C. *anno* 2. *obiit Olympiadis* C V I. *anno* 2. Rationem conjecturæ dabimus. Mauſoli meminit Xenophon (a) in Ageſilao, ſine certâ temporis notâ, quæ tamen ex collatione cum Diodoro haberi poteſt. Apud hunc autem, (b) inter hoſtes Artaxerxis Persarum Regis, numeratur, Olympiadis C I V. anno 3. *Mauſolus Cariæ Princeps magni nominis, caſtella & oppida quorum præcipua ſedes ac Metropolis erat Halicarnaſſus, arcem magnificam, totius Cariæ regiam complexa, ſub dicione ſuâ habens.* Erat ergo tunc extructa Mauſoli domus. Quidni ante quinquennium, hoc eſt, Olympiadis C I anno 2? Idem Diodorus (c) ſub finem Olympiadis C V I. ait; *Circà hæc tempora* (ὑπὸ τὰς αὐτὰς καιρὰς) *Mauſolum Cariæ Regulum obiiſſe, poſtquam annis 24. regnaſſet.* Quid obſtat quin dicamus, Mauſolum regnaſſe, ab Olympiadis C. anno 2. ad Olympiadis C V annum 2. quo obiit ſecundùm Pliniu Sanè, intervallum eſt annorum 24. p ciſè, ut vult Diodorus: & hinc fie

(a) *Xenoph. Ageſil. Edit. Steph. 1581. pag.* 385.

(b) *Diod. lib.* XV. *cap.* 90. *pag.* 504. *f.*

(c) *Lib.* XV I. *cap.* 36. *pag.* 529.

F

Harduïnus Plinii interpolatores, doli mali coarguerit, *infelici eventu, ut patet.* Verùm, quicquid alii sentiant de conjecturâ nostrâ; lectioni, quam Harduïnus secutus est, in Olympiade assignandâ, nos ultrò acquiescimus.

Non item in Anno *Urbis Romæ* CCCCIIII. Testatur Harduïnus ità legi in *Vaticanis duobus* Codicibus. Sed in Editione ipsius Harduïni, ut (a) in Codice *Colbertino* 3. *& veteri Codice Dalecampii*, *Urbis Romæ* CCCCII. In prioribus autem editionibus, *Urbis Romæ* CCCII. quæ postrema lectio, ex priori necessario est orta; quippe absonum esset cogitatu, Plinium centenario integro errasse. Annus autem Urbis Conditæ CCCCII. incepit Olympiadis CVI. anno 4. currente. Unde dicendum, vel Plinium biennio hîc errasse; vel apud Plinium legendum *Olympiadis CVI. anno* 4. quod meliùs cum Diodoro congrueret. Audacter nimis Harduïnus; „ *Lege*, Olympiadis CX. „ *& omnia ad Plinii mentem veritatemque* „ *congruent.* „ Quam *veritatem*, quæso? Figmentum scilicet ipsius Harduïni, cui neque hæc lectio *congruet.* Hæc enim ab ipso conferuntur, & conferri debent

(a) *Plin. Tom. V. pag.* 288. *a.*

debent juxtà proprios calculos, i
Olympiadis annum *tertium*, non j
cundum, ut vult Plinius. Sed, (qu
hîc maximè notandum) quorſum hi
Olympiadis C X. legi jubet? Profert
MSS. Codices? Affertne ſaltem r
tiones? Minimè. *Sit pro ratione, v
luntas.*

7. Bellum Pyrrhi adverſus Rom
nos, ultimum nobis ſubminiſtrabit
(a) *Chron. Vet. Teſt. pag.* 166. gumentum. (*a*) Ad *Annum U. C.* 46
Olympiadis C X X V I. *annum* 2. Hardu
nus hæc Plinii affert.

„ Plinius libro XI. ſect. LXXI. *L.* I
„ *ſtumio Albino rege ſacrorum, p*
„ C X X V I. *Olympiadem, cum*
„ *Pyrrhus ex Italia diſceßiſſet.*

In prioribus Editionibus legebatu
poſt C X X I I I. *Olympiadem.* Sed in
Editione, Harduïnus ſcripſit, *poſt* CXX
Olympiadem; cujus rationem reddidit
b) *Hard. ad Plin. Tom. II. pag.* 625. *Not.* LXXXIX. ſuis Notis. (b) *Sincera*, inquit, l
lectio eſt, quam admonitu codicum R
1. 2. *Colb.* 1. 2. *Pariſ. Tolet. Chiffl.*
ſtituimus, ita Chronologica temporum
tione exigente. Anno enim tantum poſt
mo Olympiadis C X X V I. *deſitum eſt Pyr*
bellum cum Romanis. His lubentiſſi
ſubſcribo, hoc tamen excepto quod

Belli

Bellum Pyrrhi *desitum* esse Olympiadis CXXVI. *anno postremo*; cùm dicere debuisset, *anno primo*. Suprà monuimus Plinium, aliosque Scriptores, quotiescunque Olympiadem simpliciter nominant, illius *annum primum* intelligere. Res certa est hoc loco. Ut autem clariùs eluceſcat, brevem exhibemus Synopsim illius Belli, ad mentem cùm Plinii, tùm aliorum.

Anni 470. ab Urbe Conditâ elapsi sunt, ad Pyrrhi Bellum. Plinius, (a) *scandulâ contectam fuisse Romam, ad Pyrrhi usque Bellum, annis* 470. *Cornelius Nepos auctor est.* (a) *Plin. lib.* XVI. *cap.* 10. *sect.* 15.

Anno 472. incepit Bellum Tarentinum & Pyrrhi. Plinius, b) *Elephantos Italia primùm vidit Pyrrhi Regis Bello, & boves Lucas appellavit, in Lucanis visos, Anno Urbis* 472. (b) *Lib.* VIII. *cap.* 6. *sect.* 6.

Anno 474. Pyrrhus ipse in Italiam venit, (c) *Vere non expectato*: & hoc Anno, P. Valerius Lævinus Cos. à Pyrrho victus est. Auctores laudatos vide apud (*d*) Sigonium in Fastis. (c) *Zonar. Edit. Reg.* 1686. *Tom. I. pag.* 369. (d) *Sigon. Fast. A.* 473.

Anno 476. Pyrrhus victus est à C. Fabricio Cos. cui Q. Æmilium Collegam addit (*e*) Plutarchus. Discedit deinde Pyrrhus in Siciliam, postquam (e) *Plut. Pyrrho, pag.* 396.

(a) *An-*

(a) *Diod. lib. XXII. Eclog. II.* (a) *annos duos & menſes quatuor bellum geſſiſſet*, teſte Diodoro Siculo.

Anno 479. Pyrrhus reverſus in Italiam vincitur, & expellitur à M' Curio Dentato Coſ. cùm Pyrrhus (b) *Italiâ & Siciliâ annis ſex bellum geſſiſſet* ab Anno 474. Fugato Pyrrho, (c) *M. Curius Dentatus* triumphavit *de Rege Pyrrho, A. CDLXXIIX.* Capitolino, hoc eſt, Anno CDLXXIX. Varroniano. Hîc igitur repetenda ſunt verba Plinii ſuprà allata, cum ſequentibus: (d) *Elephantos Italia primùm vidit Pyrrhi Rege Bello . . . Anno Urbis* 472. Varroniano; *Roma autem in Triumpho* M' Curii Dentati, *ſeptem annis ad ſuperiorem numerum additis*, hoc eſt, Anno Urbis 479. Tunc autem, (e) *L. Poſtumio Albino Rege ſacrorum, poſt CXXVI. Olympiadem, cùm Rex Pyrrhus ex Italiâ diſceſſiſſet, cœpere in extis Aruſpices inſpicere inceperunt.*

(b) *Plut. Pyrrho, pag. 400. init.*

(c) *Faſti Capitolini.*

(d) *Plin. lib. VIII. cap. 6. ſect. 6.*

(e) *Lib. XI. cap. 37. ſect. 71.*

Cum his conferatur ejuſdem Bedæ Synopſis, quam Harduïnus in ſuâ (f) Chronologiâ edidit, ſed breviùs:

(f) *Chron. Vet. Teſt. pag. 166. 167.*

„ Anno 467. Plinius libro x
„ ſect. LXXI. *L. Poſtumio Albi*
„ *rege ſacrorum, poſt CXXV*
„ *Olympiadem, cum rex Pyrrh*
„ *ex Italia diſceſſiſſet.*

„ Ani

„ Anno 470. Plinius, lib. XVI. „ sect. XV. *Scandula contectam* „ *fuisse Romam ad Pyrrhi usque bel-* „ *lum, annis* CCCCLXX. *Cor-* „ *nelius Nepos auctor est.*

„ Anno 472. Plinius lib. VIII. „ sect. 6. *Elephantos Italia primam* „ *vidit Pyrrhi regis bello . . . an-* „ *no Urbis* CCCCLXVII. (lege, „ CCCCLXXII.) *Romæ autem* „ *in triumpho, septem annis ad supe-* „ *riorem additis.* In Cimelio D. „ FOUCAULT, nummus ar- „ genteus . . . *Regis Pyrrhi Epi-* „ *rotæ.* Victoria in curru juncto „ quatuor elephantis, dextra pal- „ mam, læva coronam gerit.

(a) *Mire Opifex, quod tu feciſti, ſit licet ingens,*
Quod hîc feciſti, plus ego miror opus.

(a) *Beza, Poëm. Edit. Genev. 1597. pag. 180.*

Tecto fundamentum superstruere! Victoriam Pyrrhi ad Italiam adventantis, quinquennio post illius fugam ex Italiâ. Scilicet, (b) *Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Irrito tamen conatu. Nam, velit, nolit, Olympias CXXVI. Pliniana, coincidit, juxtà ipsum, cum

(b) *Horat. lib. I. Epist. I.*

Anno

Anno U. C. 479. qui Annus, in Faſtis vulgaribus, coincidit etiam cum Olympiade CXXVI. Dicamne, *Quæ ſunt idem uni tertio, ſunt idem inter ſe?*

8. Tædet jam profectò harum nugarum, imò ferè poenitet eas ſtriò confutaſſe. Unum addam, ne quicquam hac de re, prætermiſiſſe videar.

(a) *Chron. Vet. Teſt. pag. 212.*

(a) Ad *Annum U. C. 608. Olympiadis CLXI. annum 3.*

„ Plinius libro XXXIV. ſect. 3. *Co-*
„ *rinthus capta eſt, Olympiadis CLVI.*
„ *anno tertio, noſtræ Urbis DCVIII.*
„ *cum ante ſæcula fictores nobiles eſſe*
„ *deſiiſſent, quorum iſta omnia ſigna*
„ *hodie Corinthia appellantur. Qua-*
„ *propter ad coarguendos eos ponemus*
„ *artificum ætates. Nam Urbis no-*
„ *ſtræ annos ex ſupradicta compara-*
„ *tione Olympiadum colligere faci-*
„ *le erit.*

Quod hîc Plinius promittit, præſtat hujus libri Capite 8. ſive Sectione 19. ubi poſtquam dixit, (b) *Phidiam floruiſſe Olympiade LXXXIII. circiter CCC. Urbis Anno*, (de quo ſuprà §. 4.) Artifices enumerat qui diverſis temporibus floruerunt uſque ad Olympiadem CXX. *Ceſſaſſe deinde Artem*, ait, *ac*

(b) *Plin. lib. XXXIV. cap. 8. ſect. 19.*

turſus

rurſus Olympiade CLV. revixiſſe, &c. Quandoquidem autem, harum Olympiadum primam, hoc eſt, LXXXIII. & iſtam, de quâ nunc agimus, Annis Urbis Romæ alligavit, reliquarum tempus, *ex ſupradictâ comparatione, colligere facile erit.* Hæc eſt mens Plinii. Quid inde colligat Harduïnus, vix conjectando aſſecutus eſſem. (a) *Magni*, inquit, *igitur intereſt Olympiadum numerum hoc loco ſanum haberi & integrum.* Ingenuè fateor; *Davus ſum, non Oedipus.* Tentabo tamen. *Magni intereſt*, ait Harduïnus. Quorſum ergo tanti *intereſt?* Ad ætatem Artificum cognoſcendam, aut computandam more Romano? Ad Epocham Olympiadum demonſtrandam? Ad ſententiam Plinii aperiendam? Nihil horum video, quod iſto deſtituti auxilio, aliunde non poſſimus præſtare. Demus tamen omnia. *Atqui*, pergit Harduïnus, *ſic habent libri omnes editi & manu exarati*, Olympiadis CLVI. *non* CLVIII. *ut recentiores ſecuti poſuimus.* Ita eſt. In Textu Editionis Plinianæ, procurante Harduïno, legimus, *Olympiadis CLVIII.* & in Notis, (b) *Libri omnes, etiam MSS. CLVI. Sed hic numerus haud dubie ibi in mendo*

(a) *Chron. Vet. Teſt. ibid.*

(b) *Ad Plin. Tom. V. pag. 90. b*

mendo cubat. Incidit enim Urbis annus DCVIII. in annum tertium, non CLVI. ſed CLVIII. Olympiadis. Quare binarii nota, quæ excidit, reſtituta à nobis eſt.

Non placet, quod emendationem ſuam, ſine MSS. in textum Plinii invexerit: ſed emendationem ipſam omninò probo; quamvis Auctor, in ſuâ Chronologiâ, illam rejiciat. (a) *Numerus uterque*, inquit, *in mendo cubat: ſed quem codices manuſcripti exhibent, is levi admodum mutatione reſtituitur. Legendum enim CLXI. pro CLVI, denarii nota à corruptoribus in quinarium depravata: quibus ſatis viſum eſt deteri ſcalpello imam denarii partem, ad turbandam in Plinio temporum rationem.* O ſceleſtos! & exſecrandâ Officinâ dignos, qui vetuſtiſſimos Codices *fraude malâ*, corrumpere auſi, *Severo Archontio*, olim naſcituro, viam præparabant! Verùm, talia, ſine teſtibus, ſine argumentis, publicè proferre? Viderit Harduïnus. Nos hoc dicimus: ex loco certiſſimè corrupto, (fraude an incuriâ) nihil legitimè concludi poſſe.

(a) *Chron. Vet. Teſt. pag. 212.*

Ut autem aliquid tandem concludamus; miremur, Primò, ex ſupradictis locis Plinianis, nullum eſſe qui cum Syſtemate Olympiadum Harduïni, ſtare

stare possit, sive Editionum lectionem sequamur, sive plurium Manuscriptorum. Deinde, ex MSS. 19. quos penes se habuit, unicum esse, eumque recentissimum, cujus lectionem, semel tantùm, Systemati suo potuerit accommodare. Denique, emendationes ipsius omnes esse arbitrarias, nullasque, argumentis aliunde petitis, munitas; ideoque eodem jure quo proponuntur, rejiciendas.

1. Pro Anno U. C. CXLII. vel CXIII. legit XCIII. sine MSS.

2. Pro Anno U. C. CLX. vel CLXX. legit CLVII. sine MSS.

3. Tertium locum prorsus omisit.

4. Pro Ol. LXXXIII. legit, uno loco, Ol. LXXXIV. Ex unico MS. Et, duobus aliis locis, legit LXXXIV. & XCIII. Sine MSS.

5. Pro Ol. CVIII. legit CIX. Ex unico MS.

6. Pro Ol. C. vel CVI. legit CX. sine MSS.

7. Quod Anno U. C. CDLXXIX. actum est, confert in Annum CDLXVII. sine argumentis.

8. Pro Ol. CLVI. legit CLXI. sine MSS.

Plura adhuc, ex rebus Chronologicis, deduci possent argumenta adversus Systema Harduïni: dumque, in superioribus, agerem de Victoriâ Alexandri Magni ad Arbela, animus erat aliquid hîc addere pro Canone Astronomico sive Ptolemæi sive Theonis, quem Harduïnus sæpiùs suggillat. Sed *jam satis diu hoc saxum volvo*; & instantes Feriæ Paschales ad alia me vocant. Vale, VIR ERUDITISSIME. Æquo animo accipe, lege, corrige, *docendus adhuc quæ censet amicus.*

Dorotheopoli Pridie Nonas Aprilis 1708.

A. DES-VIGNOLES. P.

Viro

Viro Eruditissimo

D. ALPHONSO DES VIGNOLES,

Verbi Divini Ministro,

M. V. LA CROZE

S. P. D.

REdeunt ad te, Vir Eruditissime, observationes tuae in Harduini Chronologiam Veteris Testamenti, quas cum Vindiciis meis veterum Scriptorum ornamento fore intellexissem, ideo à te efflagitavi quod te in hoc argumento omnibus eruditionis & ingenii subsidiis undique munitum jam in familiaribus inter nos colloquiis audiveram non paucas Harduini in rebus Chronologicis allucinationes animadvertisse. Itaque functus es officio viri non modo eruditi, verum etiam illius qui ultro cum aliis studiorum suorum fructus communicare solitus sit. Quo

circa mearum esse partium censui ut palam profiterer quam grato animo haſce tuas observationes acceperim, jucundas procul dubio futuras iis omnibus qui veri amore tanguntur, & antiquitatis ſtudiis metuunt, quibus certiſſimam peſtem Harduinus jam dudum inferre conatur. Nihil enim puto moraberis eos homines qui, etſi ſe eruditos exiſtimant, in devia quaeque facili negotio impelli poſſunt, modo novitatis aliqua ſpecie ridicularum quarumcunque opinionum monſtra ipſis blandiantur. Certe hac in re, de qua agitur, plus imminere periculi crediderim ab inepto amore novitatis quam ab ipſa Harduini arrogantia, quam tamen ipſam apud rerum imperitos valde periculoſam eſſe non uno exemplo confirmare poſſim. Excrevit ſane incredibilem in modum & omnes modeſtiae ſapientiaeque limites praetergreſſa eſt Harduini temeritas, qui cum ſola ferme numiſmata antiqua pro veteribus monumentis agnoverit, iiſdem jam adeo mali-

*malitioſe abutitur, ut indacta ubique vitioſa lectione, & diviſis neſcio quo pacto litteris omnia in deterius mutet, omneque antiquitatis ſtudium infelicibus conjecturis abolere conetur. Vidiſti jam & procul dubio miratus es quae de nummis Caphyatarum & Coſarum in Memoriis Trebocenſibus & Ephemeridibus Pariſienſibus ineptiſſime dixit, quorum ſupra ſub finem Vindiciarum noſtrarum meminimus: & longe plura ſunt eaque ineptiora, at in quibus nihil aut acuminis, aut ingenii, aut ſapientiae appareat in nova Editione quae nuper Amſtelodami prodiit, De Nummis Populorum. Ita curaverat Harduinus primam illius libri editionem, ut licet permulta ſint in eo quae aliis eruditis eripuit, haud pauca etiam in quibus manifeſtae allucinationes non admodum modeſte proponuntur, ſubacti tamen ingenii & egregiae in eo genere eruditionis complurib*us *argumentis, doctis quibuſque viris id opus arrideat. Verum ea fere omnia in nova Amſtelodamenſi editio-*

ne in deterius mutata ſunt, & conjecturae incredibiles paſſim proponuntur. Nummi Caphyatarum & Coſarum iis explicationibus illuſtrati prodeunt, quas ſupra attigimus; aliaque complura afferuntur, quorum ſi hic mentionem injecero, haud forte graviter feres te in rebus non omnino injucundis aliquantiſper fuiſſe detentum. Haec ſunt itaque quae nova Harduini editione contineri me nuper docuit Epiſtola viri cujuſdam eruditiſſimi mihique multis nominibus colendi.

Vidiſti, opinor, deſcriptum ab erudito viro Jacobo Sponio Abydenorum nummum, in quo Leander natans, & Hero facem praeferens è turri cum hac inſcriptione exhibetur, ΗΡΩ ΛΗΑΝΔΡΟC ΑΒΥΔΗΝΩΝ, *ubi Leandri hiſtoria eleganti veteris Poëtae Muſaei poëmate deſcripta, ab Ovidio praeterea & tot aliis vetuſtis ſcriptoribus celebrata deſcribitur. Hoc loco nemini aqua haerere potuit. At vide quid hic ſomniet Harduinus. Mutata una littera, Λ videlicet in* Μ, *numini in-*

inſcriptionem ita legendam ſciſcit: H ΡΩΜΗ ΑΝΔΡΟC, VIRI ROBUR, *veteremque neſcio quam oppido ridiculam hiſtoriam & conſuetudinem comminiſcitur, quam in nummo deſcribi contendit. Videlicet metuendum fuit ne Muſaei, Ovidii & aliorum Poëmata & lucubrationes pro veris haberentur, ſi eorum ope veterum nummorum hiſtorias explicare pergeremus.*

Narbone praeterea permultos olim nummos percuſſos fuiſſe ſtatuit, idque confirmat egregia argumentandi ratione. Sic autem argumentatur. *Si nummos legeris ut ego lego, Narbonem ferme ubique invenies. Legitur, verbi gratia, in nummo quodam Julii Caeſaris,* CAESAR DICT. IN PERPETUO. *Hæc ita legit,* Caeſar Dictator primus Narbone perpetuo, *unde ſequuntur mirabiles & plane Harduino dignae opiniones &* conſequentiae; *videlicet,* Dictaturam fuiſſe magiſtratum Urbis non orbis, & in aliis civitatibus R. Imperii non habuiſſe Caeſarem hanc

poteſtatem, etiam in Narbonenſi provincia, niſi ei à S. P. Q. Narbonenſi is honor ſponte deferretur, ſive ad unum annum, ut Romae, ſive perpetuo.

Ita in nummo Claudii litterae P. N. R. ſignificant: Pondera Narbonenſia reſtituta: *in nummo Gallieni hanc inſcriptionem* INT *Harduinus interpretatur*, Senatus Conſulto, Jove NarbonisTutatore, Urbs Roma beata. *In nummo Magnentii* VOT. vota Urbis Narbonis, primis Quinquennalibus Impp. trium maximorum. *Haec in numiſmate quodam leguntur*: GENIO ANTIOCHENI APOLLINI SANCTO. *Quid putas inde extudit feliciſſimus omnium ariolorum & conjectorum Harduinus? Haec ita legi jubet*, Genio primae Narbonenſis Tutatori Imperio odio Chriſtianorum etiam nobis irato, Apollini Sanct Societas Mercatorum adjacens Hispaniae.

SC

URB.

UNIU.

ITM.

Qui

Quiſnam hominum ſodes non ſuc-cenſebit poſtquam haec legerit? quis, *quaeſo*, tam ferreus ut teneat ſe? *O tempora! Huic homini credita erit nova editio Conciliorum! hunc erunt qui laudent, & eos ludibrio habeant & calumnientur qui facinori ejus impio obviam ire voluerunt! Eſto, quando in illud aevi incidimus. Erunt forte apud poſteros qui qualeſcunque conatus noſtros laudabunt, neque deeſſe puto qui hodie probent ſi minus operam noſtram, ſaltem antiquitatis & veritatis tuendae voluntatem. Addent alii quae volent iis quae in Vindicis meis allata ſunt, in quibus ut brevitati ſtuderem non pauca praetermiſi quae commodius alibi dicentur ſi forte aliquis de grege Loiolitarum, aut ipſe Harduinus inficiando, mentiendo, calumniando, quod unum poſſunt contra me ſcribere aggrediantur.*

Ea ſunt de quibus hic tecum agere conſtitueram, Vir Eruditiſſime,

tum

tum ut gratum animum meum tibi teſtarer, tum ut ea quae comperta nuper habui de nova Harduini operum editione, una eademque opera tecum & cum omnibus eruditis qui lucubrationes noſtras legent communicarem. Vale. Berolini. Pridie Nonas Julii A. C. CIↃ IↃ CCVIII.

ERRATA.

ERRATA,

quae in hoc opuſculum irrepſerunt, benevolus Lector ſic emendabit.

Pag. 7. v. 8. Orthodoxae veritates, *lege* veritatis. Pag. 10. v. 11. Horarius Turſellinus tranſlationis, *l.* fabulam tranſlationis. *ibidem*, v. 17. veterum inventus eſt, *l.* verum inventus eſt. *pag.* 17. v. 14. ne ipſe quidem, *l.* ne ipſo quidem. *pag.* 21. v. 15. Chriſto natum, *l.* nato. *pag.* 27. v. 20. 21. verbis Harduïnum, *l.* verbis, quae Harduïnum. *pag.* 34. v. 13. 14. quo felicius, *l.* quo facilius. *pag.* 35. Notam quae adſcripta eſt in ima pagina, refer ad lineam quintam. *pag.* 44. v. 14. affirmavit, *l.* affirmarit. *pag.* 55. v. 19. quingentos, effudit, *l.* quingentos, officina effudit. *pag.* 60. v. 17. poſſim, *l.* poſſint. *pag.* 81. v. 5. nullâ conjecturâ, *l.* nulla conjectura. *pag.* 89. v. 8. quos etiam, *l.* quas etiam. *ibid.* v. 22. *vituperante ſic quidam*, dele *ſic*. *pag.* 92. v. *tertio* ante finem, ſubjectâ Germaniâ, *l.* ſubjecta Germania. *pag.* 94. v. 8. laetâ ſpe victoriae, *l.* laeta, ſine accentu ut in ſuperioribus. *pag.* 102. v. 14. conflatas, *l.* conflata. *ibid.* v. 27. per magni referri, *l.* referre. *pag.* 107. v. 21. KACCIANOT. *l.* KACCIANOT. *pag.* 110. v. 19. eaque in Athanaſii, *l.* eaque in re. *pag.* 115. v. 7. ſed in quo exſpectari, *l.* ex-

ERRATA.

l. exſpatiari. *pag.* 121. *v. ultimo.* Aretam, *l.* Aretæum. *pag.* 130. *v.* 22. natam eſſe in fabulam, *l.* inde fabulam. *pag.* 160. *v.* 5. *&* 6. quam propoſueram, *l.* quam mihi propoſueram. *pag.* 169. Petrus Lanſſelius, *l.* Petruſque Lanſſelius. *pag.* 230. *l.* 10. *Conditæ*, *l.* Conditæ. *pag.* 236. marg. 160. 161. *f. l.* 160. *f.* 161. *pag.* 244. *l.* 8. *remanſerant*, us que *l. remanſerunt*, uſque. *pag.* 259. *l.* 13. Leuctria, *l.* Leuctrica. *pag.* 264. *l.* 2. annus, *l. annus.* *pag.* 267. *l.* 10. *LXX. l. CLXX. ibid. l.* 13. CLXX.) *l.* (CLXX.) *pag.* 270. *l.* 20. *Mileſius*, *l. Mileſius* .... *pag.* 280. marg. *Lipſ.* 1573. *l. Lipſ.* 1553. 1563. 1573. *ibid. l.* 25. CCCIIII. *l.* CCCCIIII. *pag.* 281. *l.* 21. Primis, *l.* Primis,

Cetera errata quae leviora ſunt, benigni Lectores Auctoris abſentiae imputabunt.

FINIS.

A01
146682